Library
of the
University of Illinois
at Urbana-Champaign

Acquired through
The Dr. E. Kenneth Gray
Endowment

Emblems
096.1
T249

Rare Book & Special
Collections Library

TEMPLVM GRATIARVM,

Serenissimi ac Potentissimi Principis,
ac Domini,

D. LEOPOLDI,

ARCHIDVCIS AVSTRIÆ, ET
COMITIS TYROLIS &c

FVNDATORIS MVNIFICENTISSIMI;

Augustissimi, Victoriosissimiq;, Magni
CÆSARIS

FERDINANDI II.

GERMANI FRATRIS;

PIIS MANIBVS, CINERIBVSQVE:

A

MEMORIA ARCHIDVCALIS COLLEGII PASSAVIENSIS SOCIETATIS IESV;

Ipso Inferiarum, ac post D. LEOPOLDI die:

CÙM

Iusta in Oratorio piè persolveret,
ac mœstissimè parentaret.

A. D. M. DC. XXXII.

Summâ observantiâ dicatum, dedicatumq;.

A. D. M. DC. XXXIII.

PASSAVIÆ,
Apud CONRADVM FROSCH.

Qui gratis beneficium accepere, hi jucundè semper beneficio serviunt; tum quia beneficio sunt affecti: tùm quia prius crediti sunt digni esse, qui Gratiarum depositum tuerentur.

Xenophon orat. de Agesilao.

HOC SCIPSI IESVS MARIA IOSEPH
Fratres 1655 12 octobris.

096.1 Emblems
T249
RBX

fol. 1. Philipp Sadeler fecit. Pass. 1633.

PRÆFICA AD VIATOREM.

Viſquis gradu citato,
Vicina propter antra:
Quæ denſior cupreſſus,
Et mœſta frons opacat;
Veſtigium fatigas,
Pauliſper hîc reſiſte:
Cauſam moræ docebo;
Quò jura tranſiturus
Teneas, viæque legem.
Heîc GRATIÆ parentant,
SVOQVE lacrumantes
Iuſta exhibent PARENTI;
Quem Fata ſuſtulêre.
Oppreſſa templa luctu,
Plenæ doloris ædes,
Præbent locum ſepulcro:
Quæ tecta Gaudiorum
Semper locis fuêre.

Oculi natant amaro
Erotibus liquore;
Languentque de pharetrâ,
CVPIDINVM sagittæ:
Dolent, gemunt AMORES,
IGNESQVE GRATIARVM
Sævâ manu peremptos;
Vt GRATIAS sorores,
Luctu levent AMORES,
Fratresque GRATIARVM.
Ferale carmen audin'?
Lessusque, neniasque,
Laudesque, gloriasque?
Has concinunt rogatæ,
A GRATIIS Camœnæ.
Caliginem tueris?
Vt conglobata cæco
Infuscet antra fumo,
Involuat & tenebris
Sacros lares DEARVM!
Non teda, pinus Idæ,
Piceáue; & omne, quidquid
Resinam olet gravantem,
Fuliginem picémue:
Sed vnguen almum Idumes,

Electra adusta flammis,
Lentiscinæque guttæ,
Thuris vapor Sabæi,
Cum cinnamo cupressus
Obscurat atra nubes.
MEMORIA sempiterna,
Beneficiorum Alumna,
Parensque GRATIARVM;
Custosque fida rerum
Vitæ loco futura;
Quam noluit perennem
Fatale Ius DEORVM;
In omne stabit ævum,
Insistet hos penates,
Servabit, excubabit
Ad PRINCIPIS sepulchrum.
Hos ergo, mi VIATOR,
Transire non licebit,
Nec præterire fines:
Quin antè consalutes;
DIVASQVE, PRINCIPEMQVE,
Vivasque; Mortuumque.
Agé, templa GRATIARVM
Subi; genuque flexo,
Madentibusque ocellis,

Collacrumans DEABVS,
Exoſculare ſacros
Cineres perennis Vrnæ:
Et MANIBVS beatam
Fave pius quietem.
Hunc PRINCIPI trientem,
Pendi volunt dolentes
CHARITES SVO; ſibique.

In? verò? ludit, opinor; vel humanitas, vel vrbanitas tua. Ain? tamen? aut importunis curioſus nonnemo prætergradientem obturbat vocibus? Seu Hic, ſeu Tv me precio, & ære conductam hodie; vt mendicatò querelis antra perſtrepant? commentitijs laudibus? lacrumas vel inuitis extorqueam, vel ineptis? DEARVM genas humectem imbribus peregrinis, pulverulentis, frigidis; quibus fontes vel Doloris, vel Amoris domi exaruerint ſuæ? Sudores nempe celeriùs, & fluminatim dabunt laſſi à via. Sin voles; & lacrumas: ſed quas iter creat. Doloris vix vllus dabit. Gratæ erunt; quales, quales erunt: primigeniæ, genuinæ; vicariæ, pio modò affectu anhelatæ. Fucatis dumtaxat

taxat hic, & Gelidis precium est nullum. Æstimantur præterea; desiderij, voti, spei. Nullius tam exangue alutæ ærarium est, quod aliquid horum pendere nequeat. Vectigal justum, tolerabile; vel pauperrimo: si quis tamen pauper sit; cui id genus aurum, & æs intra pectus nascitur; sæpe sponte per limpidos oculorum canales effluit. Neque id eò: quasi aquarum penuriâ istic laboretur. Talium hîc quoque (quid enim GRATIIS desit?) abundè suppetit divitiarum & gemmarum; vel GRATIIS, vel CAMOENIS. Quin & si madere volent; ex suo haurient: Acidalium in proximo habent, meras nunc lacrumas manantem. Nec pauperies est; si emortua Nympha inani manssisternæ, in sinistro luco incubet. Inimicus MEMORIÆ & GRATIIS, humor OBLIVIONIS sub terram ad Inferos, qui eo egeant, fluere jussus. Ergo nec commodatò, nec precariò aquis vivitur, flectibus flectur. GRATIARVM est, in quosvis officiosas esse. Qui hac volet: sic velit; vti optant, vti rogant. Aliâ gradi potest, qui nolit; non vrgent, non indignantur. Vix soli effertur funus Familiæ, aut deploratur: Viciniam quoq; ferales invitant cæremoniæ. Vicinam hodie magis nullam; quàm qui vel oculis, vel auribus hoc GRATIARVM solum terunt.

COM-

COMPREHENSIO TRICOLOS;

Cujus membrum alterum, primi quidem numerum ANAGRAMMATISMO restituit: tertium autem, CHRONOSTICO sensum claudit.

I. SERENISSIMVS LEOPOLDVS ARCHIDVX AVSTRIÆ MORTVVS EST:

II. Sed vt Sol serenus, Arx Divorum, pius Leo, & vas chrismatis:

III. FVnDator passaVIensIs GyMnasII soCIetatIs IesV perpetuVVs.

AD

AD FERDINANDVM II. CÆSAREM, SEMPER AVGVSTVM.

Collegium Societatis JESV Passavij.



Ntra litem, ortum numerumque GRATIARVM, discors collocavit opinio, FERDINANDE, CÆSAR SEMPER AVGVSTE: tametsi eas novimus, BENEFICIORVM MEMORIAM, Gratiq; animi voluntatem, ore omnium dici solere. Iove satas habent aliqui: Matre sive Eurynome sive Eunomiâ. Visum dein alijs, Libero Patre atq; Venere oriundas credi oportere: Erebo ac Nocte alijs: nonnulli verò Ægle & Sole. Reliquum de ortu, facile patior intra calamum hærere vulgus opinionum. Numero DEÆ gaudent impari, his definito nominibus, acceptione communi: AGLAIÆ, EVPHROSYNES, & THALIÆ. Cætera etenim compellatio extra vetustatem est. Quid nos porrò adhæc, DIVE IMPERATOR? Nam, & nobis quoque licet esse tam Poëtis, vt supercilium Catonis sumamus: neque enim dum à Iove crises distribuerentur, aut defuimus omnino, aut serò venimus. Quare Prudentiam inter ac Veritatem constituti, liberè audacterq;, meritoq; pronunciamus, GRATIARVM nostrarum LEOPOLDVM

PATREM, MEMORIAM MATREM. Nova poëſis, Dij boni! at novæ quoque & GRATIÆ. PATREM LEOPOLDVM? imò Sereniſſimum, Liberaliſſimumq́;, BENEFICENTISSIMVM, Gratioſiſſimumq́; LEOPOLDVM. Ejus profuſa in Nos BENEFICENTIA, de MEMORIÆ noſtræ ſinu, quæ BENEFICII RECORDATIO EST, iſtas ſibi habet GRATIAS. Nega, ſi audes, legitimam hanc eſſe Progeniem. Negabit, non niſi, qui viperæ partus eſt: aut is etiam, cui Fortuna, vnde Beneficium acciperet, invidit Benefactorem. Etenim, ſi quælibet artes ab objecto Memoriaq́;, Specierum intermedio veluti ſemine generantur: quamobrem hic demum tam poteſt eſſe infœcunda Memoria; vt Gratiarum Sobolem nec quidquam enitatur; vbi tam fœcundâ BENEFACTORIS fœta eſt Benevolentiâ.

Nefas, aliò quàm MEMORIÆ gremio excipi Beneficia. GRATIAM, CVM ACCEPERIS, IN MEMORIA HABE; Diverbium monet. Sapit illa Tullij non minus Oratorem, quàm Philoſophum juſta GRATIÆ definitio: GRATIA EST, IN QVA AMICITIARVM ET OFFICIORVM ALTERIVS, MEMORIA ET REMVNERANDI VOLVNTAS CONTINETVR. Patrem GRATIÆ dicunt ſuum TE, TE SERENISSIME ARCHIDVX FVNDATOR MVNIFICENTISSIME. TVO de ære PASSAVIENSE COLLEGIVM TIBI obæraſti. TVO ex munere habet peculium. TVO ex jure, ſuis vivit fortunis. Hoc GRATIARVM à TE ſeminium eſt. Concepit hæc, noſtra TVI MEMORIA, Vivax & Æterna. GRATIAS parturit: nec tamen concipere deſinit, imò vnam poſteaquam effudit in lucem, fatetur necdum bene conceptam. Atq; dum perfectum trinarij molitur opus; in ipsâ perfectione defectum REQVIRIT. Nempe, diſſimiles PATRI FILIAS, MATRI eſſe putat ſimiliores debere. Verè hic locum habet; PARES à SOBOLE REDDI PATRIBVS GRATES NON POSSE. Nec GRATIÆ noſtræ præſumunt; quia & hoc Illæ probè intelligunt. Nolunt attamen mutæ omnino eſſe videri MEMORIÆ proles; tametſi ſint infacundæ. Vt enim loquerentur aliquid, LEOPOLDVS dedit: quod loquentur, LEOPOLDVS eſt: vbi locuturæ ſint, theatrum orbis habent: quantum locuturæ, immenſum eſt: quamdiu, æternum. Sorores Muſarum

ſunt,

sunt, eâdem GENITRICE. Nequeunt adeo penitus degenerâsse, quin in subsidium MVSAS advocent, vbi sese imbecilles reperiunt. Habent hoc Beneficia; vt impetrata, ipsos quoque disertos oculos, manusque efficiant. Gratitudinem in mutis, genu loquitur: flexus, pro voce est: risus, pro verbo. Non adeo elingues MVSÆ nostræ sunt, vt vel linguam rotundare saltem in versum non possint. neque ita adstrictæ, vt non fiant solubiles. In solutam igitur sese profundent, vt solvendo sint: numeris tamen adstringentur; quia solvendo non erunt. tametsi innumerum quidquid est, quis obsecro numeris ausit adstringere? Audebimus tamen & hoc. Poëtis, veteri jure,

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Officium erit, in lucem prodijsse; quia GRATIÆ sunt: Satis erit, quod vel tenuiter; quia graciles: multum, quod minus profusæ, quia verecundæ: rectè, quod non silebunt; quia humanæ. Calamistro non egent, quæ comam non nutriunt. odio habent cerussam, quæ gaudent atramento: imò, quia mœrent; atræ sint, necesse est. Inversum quidpiam CVLTVS habet, & LVCTVS. Ipsa congenita Virginibus verecundia, pro minio est. Quare, publici non amantes, quia tamen prodire in officio habent; ad minùs, ternæ incedent, ne fiant solivagæ: Syrmaque trahent famulare; millenos, totiesque totidem Gratiarum milliones. Veruntamen è vestigio, domum se suam pudicæ recipient, indociles diu spectari. At, quò vos pedes bonæ GRATIÆ; vbinam vetus hospitium? Veteres, vbicunque demum incoluerint? nostræ profectò, LEONVM præeligerent cubilia. Sed enim; sentiunt esse obserata; QVONIAM LEO DORMIT; ET QVIS SVSCITABIT EVM? Vivere GRATIÆ nostræ debent, nunquam morituræ. Vmbram tamen quærunt SACRATISSIMÆ IMPERATOR; VMBRAM ALARVM TVARVM. Et verò, habet jam in latum deductas AQVILA TVA AVGVSTISSIMAS PENNAS. Da faciles aditus. patere hoc in loco requiêsse defessas. amant similem suo, colorem, in AQVILA. Satis se in publico versatas arbitrantur, quando sub his ALIS feriantur.

Haud dubiè SACRÆ istius AQVILÆ plumis integentur veriùs, quàm Æsopi cornicula; quantumvis nudæ in lucem prodierint. Dabis hoc FRATRI TVO, longè pretiosissimo. Habuit ILLE AQVILAM; habes & TV. Nosti, quàm proclive sit, vt AVES CONCOLORES SIMVL VOLITENT. Repulsam itaq; Gratiæ non metuunt. Sperant, nullatenus interituras sese LEOPOLDI FILIAS, atq; MEMORIÆ: quando EVM habent pro FRATRE PATREM; cujus etiam nominis Fama, vivit æternitati. TV AVGVSTISSIME IMPERATORVM, Patrias in vices, cum NATIS, fove & MATREM. Vovet Illa cum Natis, SACRATISS: MAIESTATI VESTRÆ; VITAM, VICTORIAM, FELICITATEM. Passavij Die XX. Aprilis, Anno Domini M. DC. XXXIII.

(o)

MEMO-

MEMORIA.

Non cum ipsis corporibus hominum de nobis bene meritorum, ipsam Beneficiorum acceptorum MEMORIAM defodere decet.
Halicarnass. lib. 4.

LIuenti vix dum fato concesserat HEROS
Austrius, extremum compositurus iter:
Cum Pimplæa COHORS inhumatas obvolat vmbras;
Et CHARITVM querulo cingitur VRNA choro.
Quid vox, & diris mistæ clamoribus vndæ;
Musæ, noster amor? doctus Apollo refert.
Occidit! heu cecidit morti devota cruentæ
Victima; sed SVPERIS religiosa PATER!
Quid PATER? & Natas, qui nos bissena foveret
Viscera, mansueto mirus amore PATER;
HOC ducente animam, patulisque superstite terris,
Floret famosis nostra Camœna plagis.
Quà Vogesus latè scopulis se tollit anhelus,
Incumbitque tuis Alsata dives agris:
Et quà Breucomagum veteres coluêre Tribocchi;
Allambitque tuas Rhene Iurassus aquas:
Hinc vbi tergeminas Boietra, binominis Istri,
Despicit alta minas, fluctivagumque caput.
Ille sed invisum dum corpore populit ævum;
Infestus nostro spiritus ore sedet.
Sicelis ergo refer gressum, neglectaque dudum
Appete Thespiaci docta vireta jugi;

At prius extremum fatalis Nænia carmen
Inſere, & ignavos excute corde metus.
Ite lyræ faciles; feralem condite leſſum,
Et triſtes nectant garrula plectra modos.
Si PATER occubuit, fatis ſi ceſſit acerbis:
MNEMOSYNES MATRIS vita perennis eat.
Hac hortante; poli liquidis dum ſidera ludent
Arcibus, & mutæ piſce colentur aquæ:
Inclyta vivaci ſcribetur GRATIA mente;
GRATIA Lethæo non abolenda ſinu.
Aſt æquare animos, digniſq; rependere grates
Officijs, VIRTVS quæ valitura PATRI?
Sudatos citiùs ſolvas Erymanthe labores
Herculis, & fuſo lætior Arcas apro.
Threicij caſtos melior penſabit amores,
Abiurata nigro Virgo pudica toro.
Di grates pendent meritas: non poſſumus ipſæ;
Perpetuuſq; TIBI debitor orbis erit.
TV licet egregios ferali marmore Manes
Condas, & cineres contegat Vrna tuos:
Poſſideat rigidum triſtis Libitina cadaver;
Vivaci Virtus laude ſuperſtes erit:
Anguſto tellus tumulo conſtrinxerit Vmbras;
Non GRATÆ MENTIS contumulabit opus.

EV-

EVPHROSYNE.



Vale miniſterium, ad calentes fatalis buſti reliquias, LÆTITIÆ! Incendia FATORVM hæc; non AMORVM. Ringuntur eminus CVPIDINES, cum flammis Parcæ nutrimen ſuggerunt. Quas EVPHROSYNE lacrumas hodie dabis? Etenim, duplices video; quas poſſis. Habent TRISTITIÆ, ſuas: habent & GAVDIA, ſuas. Domi cùm habeas tuæ, Gaudia; illas, credo, dabis. Sed huic officio, ſi rectè video, ineptiſſimas, ingratiſſimas, nullas. Scio, Repentino GAVDIO genas ſæpe ſuis madere lacrumis; ſcio, exultanti geſtientiq; animo ſalſas vbertim guttas ab oculis defluere: ſed gaudeas hodie prius, opus eſt; vt fleas ex gaudio. Quid enim verò heic præ Gaudio fleas? Seges quidē hercle certò ampliſſima: Tumulus, Vrna, Libitina, Cippus, Stela, Hermæ, Ferale murmur, Piaculum; Pedes in fronte, & in agrum pauculi; Gleba in os injecta. Vide quid abſynthia tuditando efficias: nec hilum Gaudij, nec dulcitudinis impetrabis. Facilius ex pumice aquā; quàm à tali Gaudio lacrumam. Iactura, fletibus; non gaudijs fletur. Quæ inopinata inſperataq; eveniunt bona, Gaudij lacrumis humectantur. Vbi Gaudio argumenti eſt nihil; ibi ſiccitas ab oculorum imbribus. Heic tu mihi Gaudium: & lacrumas habebis. At, malorum dabo affatim, quæ deplores; &, ſi voles, lacrumarum; ſed quas TRISTITIÆ pallor manat. Hinc mutuatas, vel commodatas habitura; ſine impendio, ſine vſurâ. Redhoſtire tamen, Officij DEA GRATIAQVE cum ſis, vel verbis; redhibereq; potes. Eo: ac vel Tuo, vel noſtro ſupplex nomine ad TRISTITIAM, totamq; LVCTVS Familiam. Sed quò tu interea exules? Nam, non æquis te illa vel auribus, vel oculis. Inveteratæ vos inter inimicitiæ, odiaq; implacabilia; tametſi intra eoſdem pectoris parietes habitetis. Non tibi, vel ſemel cum eâ reor conveniſſe. Simulatq; pedem intra ſuos, tuoſque fines moverit: velis, nolis; evaneſces. Ac, ne turpiter aut violenter ejecta videare, ſpontalis abſcede; tantiſper, vt officium illa Doloris pro te expleat. Nec incomitata aderit; facilis adeſſe, cui congruentem ſqualori ſuo ſuppeditant omnia

omnia voluptatem. Satis deliciarum miniſtrant; feralis Vrna, tuaq; Abſentia. Severo Melpomenen cothurno adjunget; quæ pullato ſyrmate, funeſtoq; carmine fatalem ei cataſtrophen expediat. Sic fiet, opinor. Ergo tumulum GRATIA deſerat? deſerat vrnam, Templaq; ſibi ſacra deſerat? ad rogum vſque amica; è pyrâ Chariſſimos Cineres non lectura, non ſervatura? Sic me perennis MNEMOSYNE, voſque Sacra & Iura CHARITVM omnia; Non committes, EVPHROSYNE; non ſines ſuccedaneam, quæ domeſticam ipſa hoſtiam, tuaſq; lacrumas Funeri litare poſſis. Offerrumenta vel inter ſinum reperies tuum; quibus non placare, ſed MANIBVS placere queas. Mitiſſimi cum ſint; placari non egent. Ain' verò? audio. LÆTITIIS quidem & LVCTIBVS, minus convenire: at GRATIIS & TVMVLO, quid eſſe queat inimicum, non liquere. Illis quidem; quæ non Cypride Liberoq; Patre: ſed MEMORIA ſatæ. EVPHROSYNE nomen, ſi minus ad Vrnam facit: & illud exues; perſonam non mutatura. EVPHROSYNE non eris; GRATIA eris: apta non Lætitijs modò, verùm & Triſtitijs incedere omnibus. Nomen offendit? illud exulet. EVPHROSYNE vocor; GRATIA ſum: vt TRISTITIA dicar, effici poteſt; GRATIA ne ſim, non poteſt. Conſilio places; & officio. Germana MEMORIÆ Soboles. Tres autem cum ſitis; & officioſiſſimæ pariter omnes, Amore & Dolore concertetis: facilè primas RELIGIONI concedetis. Agite CAMOENÆ. A IOVE PRINCIPIVM. Pietatem in DEVM, Chriſtianam Modeſtiam & Cenſuram, Vigilantiam Paſtoralem, SS. EVCHARISTIÆ BONÆQVE GRATIÆ (Quid hîc GRATIÆ non agatis?) frequentiorem vſum, Crucis amorem, Votivas tabellas, Deſiderium Patriæ Cœleſtis, Religionis ac PIETATIS demùm Præmia, PRINCIPIS & ANTISTITIS Religioſiſſimi; quo licet, cultu celebrate. Amplius habituræ, quantumcunq; dixeritis, quod celebretis. Quanquam non eò advocatæ, vt indictum nihil relinquatis. Sic enim datas Viatori moræ & intercalati itineris inducias, contra pacta protelabitis in immenſum. GRATIARVM negocia cum agatis; par eſt, vt moleſtiam nemini creetis. Da ergo Symbolum EVPHROSYNE, & elegantiſſimam PRINCIPIS LEOPOPLDI MAXIME PII Teſſeram:

Sive

POST
FATA
PER
FATA
PIETAS ADOMINIA VTILIS
1. Thimot.
HAS COLVI.
HVC EVASI.
A. D.
P.M. S.L.
Æ.A. M.P.
HVIC PROFVI.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
folio. 15.
Philipp Sadeler fecit.

Ive acies MARTI fuerint, gentesq́ domandæ
AVSTRIACO: CHRISTVS pendulus, ensis erit.
Sive aliquid doctâ scripturus arundine PRINCEPS,
Dignum ævo: pendens CHRISTVS, arundo fuit.
Sive suis mandata daret, monumentaq́ legum:
Sceptrum illi, pendens è cruce CHRISTVS, erat.
Omnibus est nato CHRISTO, usus ad omnia:
AD OMNE
Cui PIETAS visa est UTILITATE potens.

Gregia sanè panoplia, & compendium instrumentorum omnium. Verùm ex quo armamentario, quâ officina, quo cimmeliarchio depromptum, cujus ingenio fabrefactum? Notaverat PRINCEPS ingeniosissimus, & avitæ PIETATIS Æmulator in Tritavorum Atavo RUDOLPHO, ejus nominis & Familiæ suæ CÆSARE PRIMO, materiem, quam extemporali subjecerat torno, artemque singularem. Is enim cum sub Annum M. CC. LXXIII. monente officij Septemviros GREGORIO X. Pont: Max: *WERNERO* Moguntino de Falckensteiniorum Comitum prosapiâ, toto suffragiorum conatu tanquam strenuum & sapientem Principem collaudante, ipsâ D. MICHAELIS electus: & subsequentis Anni Ianuario, ab SIGEFRIDO Colonienſi trabeâ, & Imperiali diademate ornatus, Principes nonnullos avita terrarum dignitatumq; jura recognituros in spondendâ fide lentius agere videret; sive quod sceptrum tunc ad manus non esset, sive quod minus majestatis in eo videretur (quod fortè non immeritò liceat suspicari:) arrepto, velut alter CONSTANTINUS CRUCIS signo, quod in aræ steterat, *eo se sceptri loco in omnes sibi, atq; Imperio infidos usurum renunciavit.*

Memi-

Meminerat quippe, quod sacræ de hoc (absit verbo audacia, & levitas: certè prædicatus à PAULO CHRISTUS crucifixus, *Judæis scandalum, scandaliq; petra, & ab ædificantibus reprobatus lapis; Gentibus stultitia* erat) seu lapideo, seu ligneo trunco paginæ vaticinantur: *Imperium ejus super humeros ejus* fore. Truncus profectò, & materies ad omne instrumenti & formæ genus nulla aptior; neque illa ipsa Physicorum hyle, gremium omnis naturæ corporeæ. Truncus inquam, non minus illo apud Poëtam, ficulnus è ficu fatua, in quam stultitia sapiens; ut quidam loquitur; acta fuit, dedolatus ad Mercurium dumtaxat, omnemq; virtutē & honestatem celerrimè effigiandam lignum utilissimum. Est enim in eo thesaurus omnis sapientię & scientię reconditus, ipse Omnipotens & omnivalens DEUS, fœcunditatis varietatisq; flaviſſæ, omnis pulchritudinis atq; utilitatis sinus. Vti perspicaciore post D. PAULUM (qui ut *omnibus omnia fieret*, hoc omnigeno prototypo, velut Vertumno meliore aut Proteo usus est: cum nihil alioquin nosset, *præter* CHRISTVM, *& hunc* CRUCIFIXUM) alioſque CRUCISPICES, oculo, & acie mentis profundiore, novo prorsus artificio deprehendêre Principes, de quibus Poëta:

INDVPERATORES bissenos AVSTRIA mundo,
ARCHIDVCES reliquos edidit una DOMVS.
Tres tantùm ARTIFICES: torno unus, in omnibus alter,
Æris fundendi tertius arte valet:

RUDOLPHUS I. ARCHIDUX LEOPOLDUS, & FERDINANDUS III: quorum ille extemporaneo scalpro sceptrum: hic libram & bilancem fusurâ planè mirabili, cùm in Apostolicum Regem Sopronij crearetur: medius, cum PIETATIS operam sibi AD OMNIA UTILEM in omnibus affectarit; gladium, pedum, pennarium, utroq; foro agendi, pugnandi, sciendiq; modum; verbo, reperit omnia, quibus animus excolitur, Respub: administratur. Certè si PIETATEM quæras, sedem ac delicias ejus quære: crux ei & thronus est, & torus: nusquam ea vel recumbit suavius, vel celerius reperitur ac certius, vel honoratius habetur, vel potest amplius; ubi cum perpetuò OMNIPOTENTIS lateri hæreat, brachioque ad opus omne ducatur, quin tandem fiat AD OMNIA UTILIS? Phidiam ars in auro & ebore, Lysippum ære, marmore Praxitelen, Theodorum & Teladeum fratres Samios saxo, Euphranorem

norem argento, gemmis Pyrgotelen, alios ferro, in ligno alios celebres fecit: AUSTRIACOS in nullâ materie, neque acutius, neque celerius & felicius quàm CRUCE video laboraſſe. In hac & Lapidarijs eſſe licet; lapis enim eſt, porphyrite & alabaſtrite præſtantior, ebore veterano rubicundior, juniore candidior: Tornatoribus, Fabriſq; Lignarijs; cedrus eſt, buxum, ebenum: Ferrarijs; ferrum quippe, ſupra cujus dorſum cum fabrica verint peccatores, factum eſt ad omnem effigiem molliſſimum, ad omnem uſum aptiſſimum. Itaque cùm in eo tornum feliciter jam antè vertiſſet RUDOLPHUS, LEOPOLDUS tametſi tornatili arte, quâ plurimùm delectatus; faſces, ſecures & caduceum formârit ſibi: mollitudine tamen ferri, chalybis & argenti illect⁹, quod ſine malleo ad omne præclarum ſive Principis, ſive Pontificis opus ſolo PIETATIS ingenio flecteretur, in auguſtum quendam fabrum evaſit; enſem & pedum cùm voluit, momento citius ad exemplum Tritavi ſui fabricatus. Quis hoc deinceps opificij genus dedignetur, cujus exercitatio tam Glorioſum ARCHIDUCEM effecit? Imò PRINCIPIS nobilitatum manu inter Ingenuas & Liberales poſthac numerabitur Artes, quo & Inventore & Magiſtro gloriatur. Valebit ergo fuliginoſus ful-

minum Minister cum Bronte, nudoque membra Pyracmone, & quâ volet officinâ desudabit. Nimium mortalibus nocet, dum irato Iovi studet.

Destituit postquam Trinacria sylva caminos,
Mulciber, exciso vertice calva tuos:
Et nimius succrescentes absumeret usus
Fulminis, irato à Numine, deinde comas:
Indigesta prius, flammæ didicêre voraci
Pinguia tunc primùm pabula saxa dare.
Ebria sed crudas fornax ructare favillas,
Et triquetro cœpit clade nocere solo.
Ergo solum nocui, jussu, vertêre Cyclopes,
Et sua ventorum regna dedêre Duci.
Castra peregrinâ posuêre fabrilia Lemno,
In caput ut nostrum cuderet arma DEVS.
Noxie quære alium Vulcano Jupiter orbem,
Et tibi dent aliis ignibus arma Fabri.
Nobis noster erit LEOPOLDVS Mulciber, arte
Mortales ferri qui meliore juvat.

POST
FATA
VITA
AD ASTRA SIC ITVR
HAS COLVI.
HVC EVASI.
P.M.
S.L.
Æ.A.
M.P.
HVIC PROFVI.
A. D.
M.DC. XXXII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Phil. Sopp. Sadeler fecit.

Vneris, aut generis Splendor mortalibus Umbris,
Jlluſtres fundit, luminis inſtar, opes.
Signiferum hic noſtri decurrit Phœbus Olympi,
Et varios vitæ ſcandit Honore gradus.
Maxima contiguo fulgent anademata cœlo
Magni Pontificis, proxima Cæſar habet.
Declivi ſenſim flexu decreſcit Honoris
Orbita, & Inſtabilis ſigna minora DEÆ:
Extremam donec rejectus in abſidis oram,
Poſſideas imum Codre miſelle locum.

Vid agat Phœbus? ille Natalium Splendor & Dignitatum, qui potentiæ & felicitatis jubare oculos plebis rapit? quò ſublimiore faſtigio fertur, eò accedit præcipitio periculoſius: excelſius apogæum Illuſtrium, occaſus & lapſus gra-

gravior excipit. Infelici ausu periculum fecêre etiam in fabulis leves animi: nec volucres, nec pisces, tametsi æthera & æquor experti essent; mergis tamen non absimiles. Solis & Clymenes Puer, nimius generis sui æstimator, & materni fastûs incautus libripens, curru Patris inscenso, diurni itineris fines & annui supergressus, flammivomorum jugalium ungulis territorium Iovis vastabat Erymantheo pejus, aut Marathonio grassatore: & quanquam ei vicinus, petulanti tamen abreptus in avia succussatorum œstro toto errabat cœlo, atque ad ipsam mundi Facem, quam cæteris præferebat, ipse unus gravissimè caligabat. Quo pacto tam noxijs erroribus mederetur Iupiter? ignis trisulci lucernâ exorbitanti temerario Iuveni confinem terris regionem commonstrat, in quâ non pedibus, uti ante affectatam cœlo aurigationem, sed branchijs uti posset, nisi ruina cum Neptuni ac Nereidum aurâ spiritum misero præcepisset. Ethic cœlesti semine profatus, veniâ dignus videri poterat, & aliquid de paterna apud Superos autoritate præsumere. In Athenienſis Fabri Filio, qui Labyrintho Cretam extulit, contra salutare Parentis ingenium audacia meritò de sublimi pœnas dedit: hic, quia æstuantis Phœbi radios

non

non reveritus, in flammantis DEI vultum & ſpicula defixerat humeros inſolentius; diffluente ad irati Numinis præſentiam ceræ glutine, quo remigium alarum compactum tenebatur, impennatus eo motûs genere per inane, & in eum locum ferebatur; ubi nec pedum, nec alarum egeret. Ita iſti in liquido ætheris campo, ubi Dij & ſydera naviculantur, velificantes, graviſſimis Superûm tempeſtatibus jactati, naufragio pennarum & quadrigarum facto, in Eridano atque Icario ſpecimen natatoriæ, & nauticæ præbuerunt. In Altum omnino provecti erant ſuperbiæ flatu, turgebant elato ſpiritu vela, fumi Generis & Commodorum Paternorum carbaſa propellebant: ſed cum neque portum in Alto, neque litus quærerent, in Profundo repererunt. Veriora ſacræ de Lucifero paginæ. Evexerat hunc quoque grande ſupercilium in ſupercilium Aquilonis; ſed nunc tantò inferior omnibus, quantò ſuperior evaſerat: & ſimilitudinem ALTISSIMI æmulatus, nunc caret etiam ſimilitudine ſui. Certa nimis, tritaque cœli philoſophia eſt: *Qui ſe exaltat, humiliabitur; qui ſe humiliat, exaltabitur.* Lancem mortalis vitæ ſi deſpectus ac plumbeus impleas, in altera plumâ levior ſuſtollêre: aut ſi

hic plumeus sis, ibi te plumbeum reperies. Iustissimus omnia ad stateram revocat DEUS, molitus à principio omnia in numero, pondere & mensura: nec pro donorum sive Naturæ, sive Fortunæ talentis aliud trutinabit, quàm totidem pulveris drachmas. At quæ Solis ad Libram ratio? Librile quoddam Radius est: Examem ad *Lineam rerum Vltimam* revocatur, quæ nostram ab æternâ discriminat plagam: his enim veluti confinijs separamur, & communi omnibus limine hinc migramus. Zodiaci enim hujus & radiantis trutinæ

Obtinuit medium mors, VLTIMA LINEA RERVM,

Dimidio vasti climatis orbe potens:
Angustum cujus transmittunt cuncta foramen,
Oppositáq; abeunt irrevocata vias.

Superi, quàm periculoso nititur Dignitas & Honor Mortalium libramento! Quasi enim in sublime lanx & Splendor humanus tollitur, cum nominibus, officijs & vocibus sive laudantium, sive adulantium elevamur: quid igitur adversa Iugi & Radij pars, nisi imum occupet? Quàm securius infra Regillianos, Crœsos, Crassos, & qui Splendidi Epulonis nomen obtinuit, cum Iro Lazarus

zarus in imum retrusi jacent; lancem depressam nacti, cujus opposita cœlos contingat. Alij cum eò ascendissent, vt caput intra nubes conderent, capillo & vertice sidera ferirent, ore in cœlis posito suppares, ac nihilo Dijs inferiores se crederent; quàm quòd pedibus adhuc terrę pavimentum premerent, obortâ repente opisthotoni vertigine, nigrantia Ditis asarota occipitio, quàm calce prius consalutarunt. Proceræ & eminus visendæ cedri Libani momento citius evanuêre, nec vestigio relicto. Id nempe verebatur sublimi ARCHIDUCUM Prosapiâ oriundus LEOPOLDUS, Tergeminæ Felicitatis, vt Peripateticis placet, talaribus conditionis humanæ velites supervolans. Solis instar ex alto sanguinis apice, & amplitudinis throno radiabat: quâ tamen arte, ne præceps fucatis Arrogantiæ illecebris in transversum ageretur, periculo se subduxit? quo astu dolos Inanitatis delusit?

Ante fores Mortis, Terram specularia Honori
Objecit, radiis oppositq; suis:
Sæpius intuitus, quâ simus origine nati,
Natales generis quos habeamus humo.

Perquam opacum sanè speculum, & ad Inferos luci minimè pervium: in quo vultum originis

noſtræ Princeps contemplatus, non verbis modò & humanitate, quâ utebatur in omnes ſingulari, ſed officijs etiam minimos exæquabat. Hujusille Virtutis, quam veteres nec nomine dignati; amans, obſervans & ſtudioſus fuit, ut in fœdis mendicabulorum pedibus abluendis gemmas ei & margaritas quæreret. Vide, quo tam Illuſtris & Sereniſſimus Splendor deſcenderit: quàm furvâ ſe præterea nube obumbrarit, cum in Vrbe mundi Dominâ atri coloris lacernâ indutus, & à duobus Religioſi Inſtituti comitatus viris, quò tutius lateret, maximâ cum Pietate templa obeundo, ſacros Beatorum cineres, & oſſa veneraretur. Animadverterat, primum Chriſtianam Pietatem (cujus ſibi VSUM AD OMNIA jam à puero ambierat) in Humilitate poſuiſſe pedem, & hac ceu fundamento ſuſtentari. Curioſiùs deinde Sapientis cujuſpiam Græci ſpeculum protempli foribus ſuſpenſum inſpexerat: ſine dubio planum ac politum, ad quod Cognitio ſui & Chriſtiana Modeſtia etiam à pſeudo-Dijs commendata, ſuam quotidie pulchritudinem comeret, genas pingeret. In hac ſe ille per totius vitæ tempus catoptricâ non mediocriter exercuit, ac tandem Chriſtianæ opticæ Problema reperit: quò, de ſublimi exterioris lapſo lumine, ac rurſus in ſublime

lime lateris interioris reverberato, Principis imago in cœlis relucere posset. Hîc credo, causam præ gaudio subsiliendi, è balneo in Vrbis plateas prorumpendi, gratulandiq; ampliorem habuisset Syracusius ille, auri argentiq; sequester inopinatus: hîc Thales majori religione & jure bovem, hîc Pythagoras hecatomben Musis immolandi; ubi non hypothenusæ quadratum, aut pauculorum radix numerorum, sed recta è sublimi in cœlum via demonstratur. Quam olim ut quidam, si rectè nemini, Lydorum Rex, & opulentæ Fortunæ pullus resciscceret, Delphos consulturus Fatidicum DEUM adierat. Neque Delphis, neque Apolline eguisset, si cum LEOPOLDO Serenissimo convixisset; &, quo ille ad Felicitatem itinere graderetur, non advertere modò, verùm vestigijs insistere voluisset.

HOC calle æthereas Noſtri ducuntur in auras
SEMIDEI; fallit Lactea priſca Via:
Vbere quam ſtertens altùm Saturnia tinxit,
Et fuit Heroum pulverulenta pede.
Magnanimâ ſudor nequicquam fronte cucurrit,
Et fortes pluviis immaduêre tori:
Hac cùm felices properarent tangere ſedes,
Omnis & humani neſcia regna mali.
Vera quidem fuerit: ſed & hæc nimis ardua Crœſo
Viſa; ſolet quali Gloria anhela gradi.
Ardua terrebat? (Virtus nam currit utrâq;)
Saltem Humilis poterat Crœſe placere tibi.

POST
FATA
PER
FATA
1. Timot. 4.
EXERCETE IPS
VM AD PIETATEM
HAS COLVI.
HVC EVASI.
A. D.
P.M.
Æ.A.
S.L.
M.P.
HVIC PROFVI.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philipp Sadeler fecit.

Extera, quæ niveum ſua ſpicula torquet in orbem,
Mite LEOPOLDI dextera nomen habet.

Ille, ſacrum quoties curſu ſe fudit in orbem;
Quo Numen niveis conditur à latebris:
Omne tulit punctum, media dum fixit in haſta;
Cor cuî pro capulo eſt: eſt vbi mucro focus.
At, Sonipes vbi? vel notis Heliconis ab vndis
Pegaſus? an nullo vult pede meta peti?
Auſtria neſcit equum, prædâ potiatur ut iſtâ:
Nec terit his ſtadiis ulla quadriga ſolum.
Nam, Myſtæ alipedem nuper RVDOLPHE dediſti:
Quando tibi ſimilis meta petenda fuit.

Exerce teipſum ad Pietatem; diſcipulo quondam ſuo, notus à brabio Athleta præcipiebat Apoſtolus. Eum in Temet ego Timotheum revixiſſe judico LEOPOLDE ARCHIDUX: neque enim TUUS TIBI degener aut ab illo, aut à majoribus TUIS, fuit animus: noſti, undénam TUA TIBI PIETAS facta ſit AD OMNIA VTILIS. Semper enim Tu intra Heroicæ Pietatis ſtadia conſtitiſti; tametſi intra eadem, pedem neque ſemel fixiſti. Vehementer, inquis, iſthæc ſunt apta celebrandæ Virtutis encomia! imò verò, ego illa arbitror, vel aptiſſima. Solùm enim in ſtadio Pietatis figere pedem, in vitio eſt: conſtantia illic laudatiſſima eſt, in Pietatis decurſu non eſſe conſtantem: ubi enim Virtutis iter deproperatur; ſtare, progredi eſt; non facere progreſſus, deficere. Atque hîc porrò TIBI diribitor, TIBI Critolaus eſto LEOPOLDE. Quid illa TUA haſtiludiaria ad circulariam farris orbitam pluſquam heroa exercitamina? quid ita inſolentia? quid etiam non inſolita, ſed propè aſſidua? videlicet hoc demum verè curſum doctus es

in

in ſtadio; cujus præmium, ipſa etiam meta eſt. O quoties illius TE ſqualentem à pulvere, hic, ipſe, iſtius mundi, hic oculus Sol, vidit; vidit, & admiratus eſt: neque dubium, quin & Sereniſſimus TIBI affulgere, quoties hanc ſacram metam adibas, voluiſſet; niſi ex ardentiſſimo corde TUO, Sole ipſo ſerenior Pietatis lux, fulgentiſſimo ſyderi tenebras induxiſſet. Vis vt commemorem quis tunc TUI ſenſus fuerit animi? quis ardor mentis? quæ pluſquam Babylonia accenſæ in DEUM voluntatis incendia? At iſtud ipſum TVTE pro TE ut eloquâre, par TIBI robur non eſt; quantumcunque LEOPOLDUS es. Sed; quid hoc? an Ego Actoridûm hîc aliquem? an Erichtonium, qui primus ante alios

— — — — — — *currus, & quatuor auſus*
Jungere equos rapidiſq; rotis inſiſtere victor?

Fallor! Auſtrium eſt hîc, ſi quando equis, bigiſq; laborandum foret; tum verò vel maximè equis & bigis LABORARE. Hæc Pietas ipſa, ſi poſſet loqueretur, quanquam ea, quæ quotidiè ſunt toti penitus orbi conſpicua. Vnde neque lubet, neque ad voluptatem recordationis, etiam anteactorum libet meminiſſe temporum: vel cogitatione revo-

luere primam hoc in ſtadio Auſtriacæ Pietatis originem: eſt etenim intra oculos, viva, RUDOLPHI, in Auſtrijs primi, de Habſpurgicâ domo effigies, ſanctis relicta in poſteris FERDINANDIS, LEOPOLDIS: vel eò ſolùm ex nomine, quod DEIGERULUM RUDOLPHUS equum, Myſtæ conſecrarit; omni lege repetundarum expeditum: quoniam vel ſemel legis autorem geſtaviſſet. Vrbs etiam Auſtriæ caput, nobis vel ſilentibus loquitur, vidiſſe ſe, ſub HOMINI GERULI Numinis pedibus, caput ſuum ambulaviſſe. Vidimus & ipſimet nos, LEOPOLDUM Carinthiæ viſcera, ſine PEDIBUS hanc ad metam decurriſſe: quando Deificam aditurus Synaxim, ne peditem quidem voluit ſocium. O nova! Caput ambulat! ſine pedibus iter conficitur. Hæc tamen noſtra indies ætas videt, & admiratur. Verùm hæc intra ſolius Auſtriacæ gloriæ ambitum, pace alienâ dixero, reperimus. Sola Domus Auſtriaca, ſolos habet Auſtrios ſpectatores. Neque verò mirum, ad latera Pietatis, lauro inſignem ac palmâ, ſtare Victoriam: utrinque enim iſtius florentiſſimæ Domûs, velut in ſymbolo florens, æternumq; perennatura, ſuo quodam quaſi jure Triſtega deſignantur.

Quid-

POST
FATA
FER
FATA
EXTERREAT. NONESTQVI
HAS COLVI.
HVC EVASI.
A. D.
P.M. S.L.
Æ.A. M.P.
HVIC PROFVI.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philipp Sadeler fecit.

Vidquid alit Libye, Phœbiq; jugalibus Atlas
Afflatus lassis, frondeq; Maurus apex:
Quidquid ad extremos Italos, vicina Tarento
Parturit hirsuti Græcia Magna mali:
Quidquid & Argoæ numerosâ prole paludes,
Monstrorúmve gravis Mysia quidquid habet:
Quidquid Tænariæ spirant fœtoribus auræ,
Et Phlegethontei progerit vnda lacûs:
Nititur objectos saltu transcendere clathros,
Grassariq; sacris non sine clade focis.
Vnus TAVRISCVS LEO tot conatibus obstat,
Securosq; truci reddit ab hoste lares.

Diu noctuq;, simulatq; PATAVIENSIS & ARGENTINENSIS Ecclesiarum adierat munus, magno animi robore, indefessis vigilijs, continuâ salutis & vitæ suæ, suorumq; curâ excubans: ne pravorum monstra Dogmatum & Vitiorum sive clam irreperent vulpino astu, sive manifesto furoris ruerent impetu, in jugulum & perniciem ovium, CHRISTI humeris in ovile reductarum. Imò sicubi antè perruptis septorum repagulis grassandi licentiam nacta stragem edidissent, cladémue minarentur, Leoninæ fortitudinis rictu, in ore gladij spiritûs orthodoxi conficiens, suffocans, discerpens, ejectans; ac nulli parcens labori, vt gubernationi suæ commissis, & TUTIS ESSE LICERET & bonis. Gratabundos præcones etiam hodie habet eos, quorum (studebat autem omnium) securitati, commodis & saluti studebat. Et quidem Earum altera diurno & publico laborabat malo: Superi boni! quibus impendijs, quibus laboribus contendit, quò illam à lue expediret. Ejus enim causâ, in Alsatia Inferiore absolutum virtutum & doctri-

doctrinarum DOMICILIUM collocavit: vt cum nova ferme indies Sectarum monstra nasci, novosque Christianæ Religionis hostes è vicinis serperastris emergere videret; nova quoque hinc auxilia advocaret, ad vindicandum & repurgandum. Quod animi tui consilium, ARCHIDUX & ANTISTES PIENTISSIME, etsi orbis taceret vniversus; Caput orbis, Testis omni exceptione major, SS. Totius ECCLESIÆ PASTOR non silebit, quoad publicum ejus VNIVERSITATIS ab se confirmatæ diploma loquetur: *TE, ut Religionem Catholicam, quæ in quibusdam locis TIBI subjectis, & vicinis Episcopatibus, viget, conservarès; MOLSHEMIENSEM VNIVERSITATEM excitasse*. Altera perversarum opinionum intestinas jam in pectore scintillas conceperat, & nisi temporiùs solicita PRÆSULIS industria subvenisset, pestilenti profuso fœtu nunc dirum detestatæ nomen Matris obtineret. Monebatur vel ipsa EPISCOPI dictione, maxima quæque & singularia à se expectari. Certè Plutarchus, vt DEOS suos, omniscios, & quos nihil omnino effugiat, definiret; Episcopos eos proborum, atque improborum dicere nihil dubitavit, qui rectè & perperam ho-

minum facta ſpecularentur. Habeo, Philoſophe, ſi ab officio ſapienter eos deſcripſiſti, vnum ex DEORUM tuorum numero LEOPOLDUM. Habeo & DEI oculum: ſi, qui alijs Epiſcopi, Perſis oculi Regis ij dicebantur, qui Indorum Regibus, quid quaque in regione ageretur, ex officio renunciabant. Ita ergo ſublime hoc munus, in perpetuâ quadam Dominici gregis vigiliâ conſtitutus adminiſtrabat ARCHIDUX LEOPOLDUS: vt & Paſtorem ſe gereret in paſcuis ſalubribus & opimis procurandis, & in reprimendis, quæ exitium afferrent, malis Leonem. Anſeres enim & Canes, Capitolij quondam cuſtodes huic officio inutiles videbantur, qui præter inanem clangorem & latratum nihil præterea feciſſent; &, ſi offam objeciſſes, obmutuiſſent: Leone opus erat. Neque eo dumtaxat; quales, Ægyptij ad Sacerdotum vigilantiam exprimendam in ſacrarum ædium veſtibulis exſculpi curabant. Quanquam hoc animal illi eò fortaſſe pingi ſculpique curabant, quia Sacerdotes, qui Leones eſſent, non habebant: Boiodurenſis Eccleſia neque ſcalpro egebat, neque ſtatuario, qui Leonem effigiaret, vigilias Præſulis exhiberet: cui LEOPOLDVS erat,

LEO erat.

Qui

HAS COLVI.
HVC EVASI.
A. D.
P.M. S.L.
Æ.A. M.P.
HVIC PROFVI.
M.DC. XXXIII
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philipp. Sudeler fecit.

QVI gemini censet nutantia culmina Juris,
Arduum vtriusq; functus officium fori:
Condita desertis novat asceteria sylvis,
Et templa quadrat, Vrbiumq; mœnia:
Munus, & ad mores exactam Nominis ille,
Primâ auspicatur literâ Normam sui.
Hîc bene compositam posthac Lacedæmona quære;
In orbe nostro Thebais vivit prior.
Ægyptiq; rigor vultus deformat avitos,
Cultuq; restituta cano Religio.

TRibus ædificiorū trina dimensio mensuris libratur, si Architectorum Principem audimus: longitudines lineâ & regulâ, perpendiculo altitudines, normâ anguli. Totidem Incolarum animi: Ascetarum regulis, canonibus Cleri, Civium legi-

legibus. Nihil horum desiderari passus in suis LEOPOLDUS, sive cum PRÆSULEM, sive PRINCIPEM ageret. Sicubi collapsam, vacillantem, nutantémve disciplinam comperisset, nullum non lapidem movit, vt restitutâ quantocyus pristinæ firmitudini, rectos Vrbium, Claustrorum, Basilicarumque muros amussitati mores æmularentur. Multa insuper vel nullis, vel obliteratis, vel minus appositis antè instructa præsidijs, reddidit auctiora, meliora. Arduum opus, &, vel in solo Antistite, tam multiplex multifariâ exercitatione opus habebat. Aliquoties pedo, vt plurimùm fistula: id est, vti NAZIANZENUM ELIAS CRETENSIS rectè assequitur; sæpe doctrinâ, raro objurgationibus. Habituum enim depravatorum varietas diversam item GREGORIO MAGNO curationem exigit: alij reprehensione, nonnulli leni in doctrinâ instructione felicius & salubrius juvantur. Neque his Honorificentissima in terris Dignitas, & animarum procurandarum Rectio circumscripta dumtaxat limitibus: PASTOREM præterea vult, vt oves verbo, exemplis, sanguine etiam proprio, si necessum sit, pascat: SALEM TERRÆ, vt aliorum mores sanctissimis condiat institutis: LUCERNAM CANDELABRO SUPERPOSITAM, vt subditis doctrinæ

ctrinæ ac virtutum radijs præluceat: DUCEM, vt populo ad omnem honestatem rectum iter sternat: MEDICUM, vt in tempore nôrit oleum vino attemperare: CUSTODEM, vt gregi ab PRINCIPE PASTORUM sibi commisso indefessus invigilet. Quot penè nomina, tot munia: neq; pari solùm numero, sed passu. Dimidium cernit; qui quot-quot Præsulem dignitatibus ornatum, non totidem videt subditorum necessitatibus oneratum. Honor enim, si integer sit, levi & gravi temperatur: levem opinio existimationis, gravem solicitudo muneris reddit. Expenderat hoc Beatissimus Agrippinensium Antistes ANNO, qui suo Episcopali pedo, vt quoties illud contingeret; toties officij commoneretur; aliud à Theocrito Idyllion, aliam à Marone Eclogam, avenâ quæ Pastoribus conveniat, inscriptam gestabat:

TITYRE coge pecus, cœcum ne ducito cœcus.

Et Alius, Habspurgicæ Familiæ ingens decus, qui priorem æmulatus, suo itidem tudiculata Pastoritiæ præcepta circumferebat:

POPPO Trevericum Pastor Gregem Tuere.

Vel, quia Heroo magis cum Pentametro, quàm Trochaico convenit, vtpote, quorum conjugio Elegi delectantur; tùm ut Colonienſis TITYRI

Trevirensis AMYNTAS distichon expleat; sunt enim verba numeris vtrisque aptissima:

Trevericum Pastor POPPO Tuere Gregem.

Hos ediderat LEOPOLDVS; & frequenti eorum modulatione suas in pascendis ovibus curas animabat. Et avitis DOMVS SVÆ, & vicinarum Ecclesiarum quondam exemplis incitatus. Etiam cùm civium animos moderaretur: sunt enim & Principes, ac Reges Homero; *Pastores Populorum.* Nisi quia prudenti Quiritûm consilio, Vrbi Censores erant; maximæ omnium magistratuum reverentiæ, plurimæ potestatis (autoritatis & integritatis certè raræ;) vt qui ex Legg. XII. tabb. Populi ævitates, soboles, familias, pecunias censerent: Vrbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuerentur: privilegijs ornarent, spoliarent: hoc potiùs nomine PRINCIPEM notare oporteat; qui in regundis Civium suorum animis & fortunis, numeros explêrit omnes. Tantâ animi moderatione; vt neque semestre, neque annuum, neque quinquenne: sed Imperium perenne Vniversi exoptarent. Cujus quidem voti, quia in tanto suorum numero lacinioſi vix meminêre Vrbis fasti: non sine gloriâ meminisse poterunt annales, vel in vno ARCHIDVCE LEOPOLDO, Tirolenses.

Quis

HAS COLVI.
HVC EVASI.
P.M. S.L.
Æ.A. M.P.
HVIC PROFVI.
A. D.
M.DC. XXXII.
COLL. PASS. SOCIET. ILSV.

Vis facilem teneris mulcet tinnitibus auram?
Quævé cavis agitur rara melodia tholis?
Panis an est vario sinuosa cicuta sonore?
Vel magè, Bistoniæ musa diserta Lyræ?
Sic etenim quinis tonuit clangoribus æther;
Esse putes Clariâ concita fila chely.
Adpropero, patulasq; novis dabo vocibus aures;
Quin etiam his oculis æra canora bibam.
O modus! ætheriæ, sed quid tot funibus hærent,
Cymbala tam dociles quina ferire, manus?
Scilicet, vnanimi resonant hoc cymbala cantu;
IPSE novum FECIT NOS LEOPOLDVS opus.

ADeſte, adeſte Philomuſi; & depuratos ab omni ſtupore aurium ſenſus concedite: mentem ad ſtuporem erigite Pamphili. Novo hîc opus Pythagorâ eſt, ad novos à primis cœlorum concentus. Harmoniam meditantur Superi, intra liquidos cœli tholos numerosè compoſitam. At enim; nolo iſthîc ego Phrygias aures, quanquam ad tonos Phrygios; quando nimis ferò ſapiunt Phryges. Nolo Atheam ad Iſmeniæ tibiam. Date aurem, qualem Orpheo ſuo Euridice; qualem Thracum Vati, ſyluæ fluminaque; montes, pecudeſq; præbuerunt. Quid porrò? adverte animum ſis, quiſquis es. quid aurè atq; oculo ita tremulo es? Audin' tu iſta ſat probè æra canora? quid? an non Martium opus? Et quidem opus, ô præquam ſolidum! opus, trahens per æterna ſæcula robur immortale. quid ita? quamobrem? nempè Leonis in his robur, opinor, vides. id verò ſic habet. Sublimè pendulum, irretortis luminibus contuere, fluxilem intra æthram: illò ſiquidem hanc iſtam æream molem Ales Tyrolenſis nidulatus eſt. At enim

enim verò; modi qui? qualesúe numeri? Anne Dorij? prudentiæ patres; caſtimoniæ obſtetricatores conſanguinei? Sanè, rectè LEOPOLDE, ſapienterq; tecum actum eſt, quod hæc æra ſonantia ad ſempiterni Templi tholos ſuſpendiſti: etenim illa TIBI ſunt prodromi; quibus adventum TVVM cœli vigilantiſſimus Ianitor, velut ex ſignis internoſcet, vt illud TIBI quantocyus referet. Tonus hic quoque Dorius, caſtimoniæ effector eſt: ad hunc nempè TONUM, Voto, quaſi funè ſeſe obſtrinxêre illimet jam pridem; quibus hæc tua caſtiſſima æra DONVM fuerunt. Phrygiúmne aliquis amat, Martis examuſſim æmulator? at eho! hic ille eſt, cujus

Furor arma miniſtrat.

Neque enim fortaſſe in arduo eſt credere, à Tyrolenſi ſede, retrò in fugam agendam Suecici Leonis rabioſam fuiſſe inſaniam; niſi iſtius æris, iſto, planè Phrygio modo; altero quaſi gallicinio conſternatam. Dabimus meticuloſis, & Æolium certè; quis furentem fulminis cohibet iram, tempeſtateſq; ſerenat, niſi Æolius? quis LEOPOLDINÆ quieti blandum admurmurat ſoporem; niſi hîc idem Æolius? Non tamen mehercle, etiam Lydius eſt quem deſideres! arbitror è Caucaſo cor

deciſum; quod ad iſtorum cymbalorum divinam modulationem, ad æternas delitias cogitando nequidquam erigitur. Deniq́ue habent ſuos hîc, IESVS, & MARIA; habet & Archiſtrategus MICHAEL; habet ſuos LEOPOLDVS, & CLAVDIA; habent IGNATIVS, reliquiq́; cælites; Spondæos, Iambos, Choreos, Pyrrichios. Ite ergò Tyrtæi, Phrygeſq́ue Xenophantes, Æolijq́; Empedocles, atque Terpandri; atq; his unis veſtram concedite gloriam; in affectibus, ſive concitandis, ſive moderandis. Hæc TE æra LEOPOLDE, hi moduli, non patientur ad Angeli illam ſeptimam, extremamq́; tubam; quando ad CHRISTI Tribunal, vivi, mortuiq́; attrahentur; pavere. Crede, vel hæc eadem, illud pro TE æternùm auribus Iudicis intonabunt: IPSE FECIT NOS.

HAS COLVI.
HVC EVASI.
P.M.
Æ.A.
S.L.
M.P.
HVIC PROFVI.
A. D.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philipp. Sachtler fecit.



Ternere dum tentat ſacras LEO SVECICVS ARAS,
Germanâ exſtructas Relligione Patrum:
Armigera hunc Volucris contra, ſua fulmina vibrat:
Diviſum Imperium cum Jove CÆSAR habens.
AVSTRIVS hoc cernens ſacro LEO flagrat amore,
Et ſua fraternis jungere tela parat.
Corripit haud enſem, aut ignito pulvere ferrum,
Aut quæ in conflictu bellicus uſus amat:
JVDÆÆ verùm ille TRIBVS rapit arma LEONIS:
Talibus in bellis hæc potiora putat.
Nempe JNSIGNE CRVCIS. Quid enim magis arceat hoſtem
Illo præſidio? quo ſine nulla ſalus?

Con-

CONstantinos, credo, & Heraclios animo depingitis veſtro; quando cum glorioſiſſimo illo victoriarum omnium Inſigni, CRUCIS Labaro, LEONEM in aciem, Leoninâ ejuſdem vnguis, & inſigniorum bene magnâ ſtipante cohorte; hoſtem, alterum Leonem contra, videtis procedere. Videtis; nec veſtra vos fallit opinio. Cernitis Conſtantinos, luſtratis Heraclios; videtis Herculeæ virtutis; imò & gloriæ habetis æmulos, qui gloriam, ſplendorem, aëris decus atque Cœli invictiſſimum Crucis ſignum, in humeros tollant: & Herculem acrius Iunone, infernali Hæreſeos exercente Tiſiphone; eo ſigno lethalem hoſti ictum tentent inferre. Habetis Leonem, illum generoſiſſimum & invictiſſimum Heroëm ARCHIDUCEM LEOPOLDVM: qui, cùm SVECIVS LEO impio, & Acatholico ferro per Romanum Imperium avitas patriaſq; aras demoliri, Orthodoxam ſacrarum Literarum diphteram proſcindere, Pontificiam Tricoronidem proculcare, Patulcias & Cluſias cœli claves diffringere, ſacra & profana promiſcua

miſcua habere; denique Imperium totum putatitiæ ſtuderet ſubijcere Religioni: illum contra glorioſiſſimæ, ſemperq; natæ vincere bicipiti AQVILÆ, *prælianti prælia Domini*, & Vniverſæ Rei Catholicæ, Hæreticoma ſtige vngue indefeſſum hoſti fulmen intentanti; FRATRI inquam, CÆSARI ſuppetias tulit. Cauſam certaminis cernitis, certantes cernitis; at quibus decertet armis LEOPOLDVS, obſcurius fortaſſis eſt. *Fient iſta palam:* latet hîc myſterium. LEO LEOPOLDVS AVSTRIVS; clarè dico (nec enim nobis, aut Splendori Habſpurgico *improperium* eſt) IVDAICI LEONIS inſiſtens veſtigijs, *crucem bajulans exivit* LEONI obvius. *Inimici enim crucis*, cruce profligandi. Oeniponti, in quâ principem tenebat ſedem, ſummis hiſce Imperij & Religionis Orthodoxæ periculis, ſupplicationem ad ſacras inſtituit ædes, DIVINO placando NVMINI; vbi, ne Labarum ſupplici triumpho deeſſet, ipſe ARCHIDVX humeris bene grandem impoſitam Crucem tulit: illum Proceres omnes, illum Nobilitas vniverſa (quis enim talem non ſequatur Ducem? certè ſi vnquam, hîc demum verum ARCHIDVCEM:) ſequebatur; glorioſiſſimum ſibi ducens, pari labaro humeros commodare, &

PIENTISSIMI atque OPTIMI PRINCIPIS ſui legere veſtigia. Neque hi modò *Regis ad exemplum*; ſed omnes omnium ordinum, atq; ætatum PRINCIPIS SVI rapiebantur ad exemplum. Erant, quibus Cruces; non, qui Crucibus deeſſent. O prudentiſſimum cum Cruce, in Crucis hoſtem, certamen! O antiquiſſima, & præſentiſſima AVSTRIACÆ DOMVS contra rebelles præſidia, arma, tormenta! O fœliciſſimum victoriæ genus; in quo LEO DE TRIBV IVDA, AVSTRIO auxiliaris LEONI, à Balthico uſq; mari Belluam triumphavit!

Nuper

POST
FATA
PER
FATA
Ad maiorem Dei gloriam
IHS
IHS
HAS COLVI.
HVC EVASI.
P.M.
S.L.
Æ.A.
M.P.
HVIC PROFVI.
A D.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philipp Sadeler fecit.

Vper in hostilem SVECVS sua signa Tyrolim
Duxerat: adverso prædo futurus agro.
Jamq; propinquantem senserunt oppida Martem;
Oppida, belligeris hæc quoq; nata Diis.
Scilicet, vt retro, quà venerat hostis, abiret;
Contigit hoc VOTO DVX LEOPOLDE TVO.
Forsan clara dies LOIO fulgebat Honori:
Ipsa simul VOTVM Lux dedit; atq; FVGAM.
Vix etenim, DIVO cum publica festa jubentur;
Mars fugit: & Pacis signa Tyrolis habet.
Nam, quando Superis LEOPOLDE in VOTA PRÆISTI:
Par fuit, & Superos ad TVA VOTA SEQVI.

PAnde fores Mavortia Tyrolis pubes: *date locum Cæsari;* vel qui esse voluit; vel qui non potuit. SVECVS in limine est; imò DEVS, sed si retrò vestigia vocis perlegeris. Habet enim à tergo DEVM; tametsi à fronte non cernitur. Humanum extra obtutum hic Iupiter est: neque videri se patitur; etiam quando vel maximè AQVILAS suo sibi in gremio putat colludere. Ridete Superi! inversus luce hodiernâ, fabulæ ordo est. Iupiter ipse, AQVILÆ in sinum volabat: at suo Numen invisum gremio, AQVILA TYROLENSIS EXCLVSIT. Meministíne SVECE, Duce Archangelo, solaris in nube lucis æmulâ, igneam facem jaculante; annos totidem supra vicenos, Iudæam plebem, Palæstinam subijsse; terræ solum, ab omni fruge desiderabile? Iit, redijtque, deserta per, & invia, & inaquosa: quamquã hodie à fronte, atq; cominus; postridie à tergo, atque eminus patriam prospectabat. iter nimirum, peccati consanguineum; merces Isacidûm sceleris. In istis oro te SVECE, contuetor: habes vivum itineris tui speculum:

lum: isti ipsi, propositi tui viva imago sunt. Erat Votum tuum, chara ædepol, longeq; devotissima LEOPOLDO Tyrolis: erat illa tibi ante oculos; erat & in oculis, quantumuis extra oculos foret. Adi si lubet, & fruere Voto. porta patens esto. occupa fundos alieni Imperij. lac & mella destillant annosæ istius Patriæ quercus. Dabit & vina, si voles; & æra: & si mavelis, argenti laminas, auriqúe metalla. Neque porrò sale caret. Argumentum inde licet sumas, quantum sale abundaverit tum; cùm Voto tuo, Votum illa opposuit suum: & vel inde doctus es, *quadragesimum Tyrolenses ætatis annum* longo ab hinc intervallo, jam pridem exegisse. Nosti patriam difficilem vinci. Salem antea hostiles potiùs in agros sparserit, quàm vt sale deficiat. Nunquid enim in exercitu tuo, præ Tyrolis foribus, avidè deditionem præstolabâre? Vide, quantum interfit, VOTVM inter, & VOTVM; TVVMq; inter, & LEOPOLDI. Ille Divo IGNATIO, lucem festo publico solennem per vniversam qua latè se fundit Provinciam, si TE suis finibus arceret, tibi velut facem accendit; vt ad Tyrolis aditum, summâ in luce viam reperires. At, vbi tu nunc hæres in bivio? i, sequere, si lubet vespertilio. Miserum te, atque infelicem!

itáne verò tam hebete es oculo, mediâ vt in luce caliges? hac, hac, via ducit: quid? retrò etiam pedem, vnde veniebas, eademq; hac luce reflectis? adesdum! Malè quoque ni audit, nescio: id demùm scio, Iudæorum illum de more progredi: veriùs dixero, Impiorum: ita enim, *Impij in circuitu ambulant*. Crediderim de Syris illum non fuisse; quos, vt hostes, intra Vrbem cœcos Elisæus receptos, reduxit ex vrbe videntes. Quid miror? hic Muscis est genius; cum ad ignem advolârint, comburi. Profectò, quod etiam accensâ IGNATIO face, videris nihil; tantæq; lucis splendorem ferre pertinaci non potueris oculo, extra novitatem est. Nosti, AQVILAS solùm, cælicos ignes oculo non nictante, non autem Leones, excipere.

Corni-

POST
FATA
PER
FONTES AQVARVM. SICVT CERVVS AD
HAS COLVI.
HVC EVASI.
A D.
P.M.
Æ.A.
S.L.
M.P.
HVIC PROFVI.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philipp Sadeler fecit.

Orniger, i, gelidam trahe Cerve ſititor ad undam;
Deproperent agiles languida membra gradus.
Teſqua per, & vario pictas diſcrimine valles;
Fuſus vbi Zephyri flamine ſpirat odor.
Vulnere, nónne vides? latet abdita cuſpis hiante:
Ergo celer vitreas, i, pete læſus æquas.
En LEOPOLDVS ego ſellâ ſequar ipſe curuli:
Tu ſtimulos pigræ, mi puer, adde feræ.
Me nimis ah miſerâ torret ſitis arida fauce;
Quis mihi det mediis VIVA FLVENTA polis?
Hæc mihi forſan adhuc nequicquam haurire liceret;
Ni tua cerve ſequens terga, docerer iter.



In

IN ambiguo LEOPOLDE est, rectiúsne TIBI æternitatis ingredienti semitam, faustum iter, prosperumq; precemur; an verò de TVA à nobis decessione, in lacrymas, luctumq; solvamur. Verum definita jam res est. Luctus in triumpho, importuna narratio. Ad fontes enim æternitatis concessurus, quid obsecro mones aliud; quàm, sitim TE hodiè TVAM in triumphum duxisse. Sitim tuam accepimus; fontemq; novimus. Illum anhelabas, *qui salit in vitam æternam*. Neque enim tam amoris incendijs æstuantem animum, vel maria restinguere terrenorum debuêre fluentorum; neque etiam valuêre. Inde igitur sopiri hic æstus, inde temperari necesse habuit, vnde potuit. Non injuriâ manant hi fontes ARCHIDVCIBVS, quando manaverunt & REGIBVS. En TIBI de pluribus vnum. Ardet siti nonnemo; & jam rauco penè gutture, aridisq; faucibus, & voce intermortuâ, vt potis est, inclamat, & ejulat. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima*

anima mea ad TE Deus. Manabat & alij, Divo illi, ab Assisio cognomini: videlicet, hic iste adeò his mersus erat in fontibus, vt istius abundantiâ, perennes ex oculis lacrymarum, velut ex oceano rivos deduceret. His ergo Tv sititoribus, factus hodie compotator es; sitim isthîc Tuam largè, copioseque detriumphaturus. At enim; in fastum triumphalis pompæ, vbi curulium trahones, Equi; Elephantes prodromi; longi-gurgulionesque Cameli? Nihil istis opus est; quando sitis faucem torret. Tardigradum limacem in talis trahunt Elephanti: at hic festinato opus est. Cunctari, tuque Iuli Cæsar; tuque Pompei, voluistis; quadraginta, quatuorq; Elephantis Vrbem victores ingressi. Lentiores imò verò vel caballi, Gordi Imperator, tui sunt; quando grave ferri pondus, eorundem pedibus incidit pernicitatem. Cervos Aureliani malumus.

Sunt hi quoniam magè cursibus apti.

Neque verò noster hîc Pyrrheum cervus domitorem, moderatoremq; veneratur: neq; illam, quæ quandoque, cervi,

— — *Soror omni Sylvia curâ,*
Mollibus intexens ornabat cornua setis;

Pectebatq; ferum, puroq; in fonte lavabat.
Ille manum patiens, mensaq; assuetus herili,
Errabat sylvis: rursumq; ad limina nota
Ipse domum, serâ quamvis se nocte, ferebat.

Nil denique hîc tibi negotij Cypariſſe, nil tibi Sertori. Amor in vices ijt Equiſonis. Amor agit Hippodamum; ad fonteſq; deducit vitæ perennis. Nemo ſiquidem magis, quantis pectus indigum ſit fluminibns, poteſt recenſere: quàm qui fornaces, intra anguſtias pectoris, nutrit Amorum.

Certan-

POST
FATA
PER
FATA
HAS COLVI.
HVC EVASI.
A D.
P.M.
Æ.A.
S.L.
M.P.
HVIC PROFVI.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philipp Sadeler fecit.

Folio 67

Certantes LEPOLDE tuum, ſuper æthera ferre
Cygni nomen avent; Armiger ales avet.
Et PIA avet ſolitum deferre CICONIA pignus:
Jure prior facta eſt; quæ PIETATE prior.

BEne auſpicatum certamen, quando hæc tam bene ominata Trias pro ominato decertat trophæo. Certant Cygni, Aquilæ, Ciconiæ; cœlis quàm terris digniorem, inferre LEOPOLDVM POLO. Dulciſoni funerum Auletæ, Phaëtontiadem mundo, Cœloque exhibere conſpicuum. Certant Cygni; ſuæ virtutis æmulum, INVULNERABILEM, cognatam PROLEM MARTIAM Honoris in faſtigio ſtatuere. Certant Cygnum; qui dicto à Fatis die, nullo ſiniſtro Craſtinùm intercrocitante Corvo, candido *intus cecinit* animo, melos divinæ conſonum voluntati. Sed has adverſùs volant Aquilæ, vngues evaginant,

roſtratis claſſicum canunt tubis, alarum remigia expediunt, & in cœli æquore reduncа gerunt certamina. Sibi excelſiſſimis Volucrum Regibus, vendicant non degeneratam Auſtriacis Aquilam. Iovis Fulminigeræ, & hoc Belli Fulmen depoſcunt. Ganymedeæ prædatrices, delicium cœli Superis deproperant. Quin & argumentum habent: non mendaces jam ſe commentitio augurio, flammato rogo, & odoratâ nube excitas, alta petere; emptitiam, & plebeis fucatam oculis ſignare immortalitatem. At, *Nulla vis major Pietate Vera*. Id enim ferant Ciconiæ? Leopoldianæ? adſymbolæ? gemma anuli, cuſtodes ſcriniorum, ſigillorum & iconum indices? librorum facies; deſcriptæ, impreſſæ, inſculptæ vbique; cordi autem impreſſiſſimæ, inſculptiſſimæ? Non, credo; id vel Aquilis, vel Oloribus juris dabunt. Sint Cygni individui Achates funeris, melicum Mortis gaudium, atræ candor pompæ: ſint Aquilæ; Tyrolenſes, Auſtriacæ. Comitantur ad ſepulchrum dumtaxat. At cum miſſo levi pulvere, ſuprema vox auditur, Vale; evaneſcunt Aquilæ, ſe candidi ſubducunt Cygni. Sola tenet conſtantia Ciconias ad tumulum; Vna Pietas vrnam ſervat, *in*

Cœlum effert. Perge igitur è Mundi rogô, non Cygnis, non Aquilis: sed,

Perge PIIS AVIBVS LEOPOLDE,
ad sydera perge:
Non finit in terris ardor habere locum.
Ille ardor Cœli; cujus flammatus amore,
Dixisti: Cœlum est omnia, Terra nihil.

AGLAIA.

SI, quid Græcis audiam, quæras: alijs SPLENDOR, LÆTITIA alijs; Poëtarum nonnullis, SPECIOSVS ORIS NITOR. Multi Sorores meas titulis suis despoliant, vt me exornent: &, ne in vnam omnem mundum congerant, dote meâ alterutram instruunt. Quia errore faciunt, non odio; tolerantur: si, vti originis promiscuæ, ita & communis juris opinione; affectûs cognati præsumptio, quædam quasi permutatio est, facta voluntate alienâ: si prolubie, levitas. Nominibus quoque vario: Homero Pasithea, Ægiale alijs. Admittam aliàs, quotquot & qualia volent, sive nomina, sive munia; quam MEMORIA officiosam in omnes progenerauit. Hodie, & quoad sacris SERENISSIMI ARCHIDVCIS LEOPOLDI cineribus astitero, nec Lætam, nec Splendidam, nec Formosam esse placet; vulgare amiculum, tristes genæ, demissi arridentoculi. Etiam ipsis lachrymis suus inest decor, pallori

puellari innatat gratia; ideo ambitiosè nunc à Nymphis expetitur. Illæ, tametsi fictæ, obstinata præcordia emolliunt; blandiuntur, cum maximè amorem aversari videntur. Hi nempe Charitum tropi; hæ figuræ vtrique poëmati aptæ; jocis, suspirijs; salibus, salsis humoribus; cachinnis, gemitibus; epithalamijs, epitaphijs. Hoc ergo, quem Nenia postulat, cultu nostros procari decet ignes; illecebris, & procacitati Gaudiorum inassuetos. Silentia tamen ad Letheas ripas exulent: Soporem enim si familiariùs admittantur, inducunt. Vigilias perennes amant Amantes: & si quies oculis obrepat; insomnijs tamen Cupidinum, Animus dat operam. Quanquam Immortales, vti fatorum, ita & somni sunt expertes. Igitur, vt tota nobis vigiletur æviternitas, non sine sono ac voce; barbita in manus sumite Corycidæ Sorores, etiam nobis. Illæ autem, quæ Heroum gesta canitis, Principum Familias, Imagines Avorum, Thalamos, Posteros, Justitiæ & Liberalitatis monumenta, Tubas ac Prælia. Politicen vos deinceps ornate PRINCIPIS LEOPOLDI. Æquali nihilominus numero: perfecto illo quidem Arithmeticis & Concordiæ; sed meritis PRINCIPIS; votis nostris à perfecto, plurimùm distante. Verùm quia mortalibus canuntur etiam, qui perfectum vix assequuntur; certo & infra mediocritatem, ad quam minimo quoq; patet accessus, definiri debuerunt. Immortalia tamen, tametsi non infinita, hoc ipso futura; quod ab Immortalibus Parnassi Nymphis, in Immortalium GRATIARVM gratiam canantur.

Æmule

POST
FATA
PER
FATA
LEOPOLDVS EXVLTIO
HAS COLVI.
HVC EVASI.
A D.
P.M. S.L.
Æ.A. M.P.
HVIC PROFVI.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philipp Sachler fecit.

Mule Bicipitem speres æquare Volucrem? Quid explicas sinu superbe, & unguibus?
Solicitæ condantur opes; & debita summis
Tractare signa, cautiùs leves decet.
Omnis quin etiam famâ tua præda laborat:
Instructa ab vngue nam rapaci noscetis.

QVin autem ostentare possit audacius; quo tam splendida, laudata, beataq; fuit, futuraq; in ævum Tyrolis? ROM: IMPERIO & bipertitæ per colla Volucri, autoritate non æmula; par tamen felicitate. Vetus quippe FRIDERICI IMP:, cum præter alia prærogativa decora DVCALI eam efferret honore; dignissimumq; tot facinoribus, Togâ & Sago patratis, elogium est: DOMVM AVSTRIAM, *Cor & Clypeum S. R. I.* esse. Id est, si AVGVSTI SERMONIS ingenium rectè assequor; Reipub. CHRISTIANÆ salutem & robur, Incomparabilium EIVS PRO-

PROSAPIÆ HEROVM *Sapientiâ & armis* contineri. Iliadem nucco cortice; annales epitome duarum; panegyrin totidem vocum symbolo, complexus Cæsar. Gratulêre AVGVSTVM TIBI Historicum, AVGVSTA DOMVS; gratulêre Encomiasten. Felix præconio Homeri Achilles: felix antè HABSPVRGICORVM COMITVM; tunc DVCVM; nunc etiam inter DVCES PRINCIPVM, atq; IMPP: virtus, testimonio & commendatione CÆSARIS FRIDERICI. IVLII CÆSARIS, qui acta syncerius & castius in commentarios referret; præter IVLIVM CÆSAREM non erat: qui vestra, ARCHIDVCES, non ingeniosè minùs, quàm gloriosè gesta annotavit; non quidem IVLIVS, CÆSAR tamen erat: futurus etiam ipse IVLIVS, si in ea tempora incidisset. Age verò; suspectæ fidei CÆSAREM ne habe: falsò MAIORIBVS laudem tribuerit, honorem decreverit; in Posteris non fefellit. Fortè verior de Nepotibus Vates; quàm Tritavis Historicus: Quanquam, qui in FVTVRIS verum dixerit; qui Temporum suorum fidem non mereat? Cæsuratim cum CÆSARE ad CÆSARES, & ARCHIDVCES dicendum. Vbi hæc deinceps Familia delectum dedit; penitius Cordatum, Clypeatumque IMPERIVM evasit. Clypeum credo; qui

qui *Incõparabilis* & quatuordecim prælijs, *Victorioſi Principis* obtinuit nomen. Clypeum; qui *Triumphatoris*. Clypeũ; qui vel adventûs ſui famâ AMVRATHEM vicit, fugavitque; duos CAROLOS, Francorum alterum, alterum Burgundum attrivit. Clypeum; qui SOLIMANNVM, ſupra IↃↃↃↃ inſtructum in terga vertit; Afros domuit; Regem & Electorem, captivos habuit; damnatos Lutheri Anticatones Vulcano publicitùs tradidit: PAVLO PONT. MAX. *IMPERATOR Armis & Religione Maximus.* Clypeum; qui toti orbi Germanico *SALVTARIS.* Clypeum poſtremò: cujus Victorias, à mediterraneis & maritimis ad ſeptentrionem Populis, ac Regibus; Albis, Viadrus, Mœnus, Viſurgis, Rhenus, Regneſſus, Iſter; aliæq; minorum gentium Ripæ, obſcuri ante nominis, nunc prælijs ac tumulis Heroum claræ; in tertiam hodie propemodùm olympiadem numerant, & admirantur. In hujus Cordati, Clypeatique Honoris ſocietatem jure venit LEOPOLDVS: cui præter Sanguinem, cum CÆSARIBVS; AVIS, PATRVELIBVS, & AVGVSTIS FRATRIBVS; cõmunis erat PALLADIS, & MARTIS diſciplina. Domeſtica ei hæc ornamenta, & præſidia; non mutua: domeſtica; non modò, quod ex eâdem PRVDENTIÆ ac FORTI-

TVDINIS traxerit DOMO; sed domi suæ, ac intra pectus nata, eductaq; adoleverint, moderataq; sint omnia dicta, factaque; belli, domi. Adeo domestica, & peculiariter sua: vt, si Archidux non fuisset; jure tamen esse potuisset. Libro & ense quidam, Primus si Dijs placet, Cæsarum gloriatus; *ex vtroq;* agnoscí voluit. ARCHIDVX, tametsi talium minimè curiosus, evadere non potest; quin *Ex vtroq;* LEOPOLDVS sit; *Sapientipotens & bellipotens.* Ideo Poëta; CÆSAREM æmulatus, cujus manifestior in Futurum erat Historia; suum è Facto PRINCIPIS vaticinium retulit in Præteritum; jure argumenti, & suo: cùm ad PRINCIPIS Optimi cunas, inter GRATIARVM illecebras, MINERVÆ petulantiam sic affingit:

Vt CHARITES circùm, juncta TRITONIDE, cunas
Vallârant, Princeps, ô LEOPOLDE, tuas:
Arridere tibi, vultu colludere, certat,
Pandere quæq; suos officiosa sinus.
Extitit Vnigenæ major TRITONIDOS ausus:
TE rapit ex cunis, in gremioq; locat.
Suppositoq; TIBI Clypeo; quò verior esset;
Tu mihi, dixit, eris CORCVLVS atq; TITVS.

Qua-

POST
FATA
PER
FATA
OSIORVNO CÆSARNVMER
HAS COLVI.
HVC EVASI.
A D.
P.M.
Æ.A.
S.L.
M.P.
HVIC PROFVI.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philipp Sadeler fecit.



Quatuor adversis acies legionibus una,
Et spirant uni signa quaterna minas.
Quo fato, incertum; tu belli causa Gugerne,
Dicere sacrilegâ personuisse tubâ.
Inde movet tradux Cattus; magni ostia Rheni,
Et quem multifido litore cingit aqua:
Seu miserum studio spoliandi, sive juvandi;
Solicitiq; suos, Britones inde movent.
Ora pedesq; FVROR pennatus, in arma Dracone
Vectus equo, gaudet solicitare manus.
Quid REGINA avium speres, hostilibus impar
Agminibus? quid agis turma triente minor?
Sed, bene si video: CÆSAR NVMEROSIOR VNO,
Hostica signa premit Marte, NEPOTE suo.

Veteris Bellonæ non imperitus: ac memor; victoriam solo numero stetisse raram; virtute sæpe multam. Æquant enim superantque valentes animi, tanto majorem velitum congeriem: & Dux cordatus, contumacem sæpenumerò exanimat hostem. Qualis quidem hic erat; quo cum LEOPOLDO decertandum erat. Est vel Inimico sua tribuenda laus: cui si conêre, gladium eripere nequeas; tametsi ad virtutem tuam expallescat.

Robore ſi careat, ſi arte; vbi ſe Fortitudo tua dignè occupet, vnde Ingenium commendet? Virtus eſt: non lepores, aut damas; ſed Leones terruiſſe. Cum INFRACTO negotium erat: quem Regnorum vires attrivêre; non contrivêre. Cum eo: qui & metallo abundaret, & elemento; qualibus quidem cupedijs Martis vigor animatur. Cum INVICTO: qui ſic triumphatus ſit; vt Victoriæ ſegetem amplioremrepullulaſcat. Cum INDOMITO: qui jugum ferre neſciat. Cum INDEFESSO: quo cum Terrarum Fortitudo luctatur. Cum EXERCITATO, terrâ mariq́ue: qui Oceano toto vela circumferat; prædas det, & agat. Auxiliares Iuliacenſibus alios non cenſeo; neque ipſum Vcalegonta, cujus domus ab incendio flagrabat. Dignos cenſeri omnes; ſi, vti armis, ita obſervantiâ præſtitiſſent. Quanquam, niſi eâ defeciſſent; LEOPOLDVS nomen à virtute non haberet. Sæpe etiam Scelus Virtuti nutrimen ſuggerit. Cum HOC, negocium RVDOLPHO CÆSARI erat; LEOPOLDO erat: Noverat Sapientiſſimus IMPERATOR indolem æſtimare; Noverat ingenio NEPOTIS vti, & virtute: Noverat Hoſtium vires; Noverat ab his pericula. Non cadit in DIVOS temeritas. Saturni ſunt, V. CAROLO, in conſilijs capiendis rerumq́ue deciſionibus AVSTRIACI. Sæpius ad libram, quàm vel ſemel ad vaginam. Nec limam excludunt: quò maturitatem & mentem acuant; non chalybem. Stabat ergo ad bilancem CÆSARIS Prudentia. Critolaum crederes, Animi & Corporis bona trutinio ſequeſtrantem. Solicita; vtra inclinaret. Illâ Hoſtes; hac LEOPOLDVM librabat. Mole LEOPOLDVS, ac numero, vncia erat: as, pondere & precio. Aurum erat; plumbo, ferro, ære & argento gravius. Nam & vnus erat; qui impetus præſidio impoſito fregerit, ſiſterit Furorem Infidum, cœcos in officio continuerit. Ne poſthac Metalla, pondus cum Auro conferant; quod à tergo Claudij, finitimâ Scordiſcis fodinâ eruitur.

Miles

POST
FATA
PER
FATA
SAS CONSVMIMVS. ✝ HEVSETIAMMEN
HAS COLVI.
HVC EVASI.
A D.
P.M.
Æ.A.
S.L.
M.P.
HVIC PROFVI.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philippus Sadeler fecit.

Iles ab esurie ventrem exagitatus iniquâ,
Jam mediũ miſero corpore funus erat.
Sæpe illũ viduis torquebant frigora menſis:
Sæpius arcendæ defuit vnda ſiti.
Sæpe illum Caurus, gelidæq; injuria brumæ;
Sæpius immodicus diſſoluëre calor.
Hic TE jure tuo ſtipendia fortè popoſcit:
Cũi LEOPOLDE TVO de lare, pendis opem.
Scutatæ argento pateræ, cratera, paropſis;
De mensâ latum PRINCIPE, munus erant.
Munus; idemq; ſiti facilis medicina, famiq;:
Tegmen idem capiti munus, idemq; pedi.
Verius hîc, Menſas conſumimus; *eſſet Julus,*
His propior caſtris, dicere poſſet idem.

Vid hoc? Saturníne poſteritas aliqua, his etiam in caſtris nova recruduit? an ſunt, qui conſumptis carnibus, ipſa quoq; oſſa deglutiunt? Hûi, ſimulacrum voracitatis incognitæ. Reor ego, non caſtra tueri me; ſed Saturitati Fanum à Siculis conſecratum: ita enim ſtomachalis hîc ara fumat, inſatiabili à foco. Cujus, amabò, vel oculo, vel aure

perceptum est; non dapes, non esculenta, non fercula; sed vel ipsum dapiferale solum; ipsas argento fusiles quadras, mensasq;, pateraſq;, scyphosq;, crateraſq;, paropsidesq; totas, rarâ abliguritione masticatas, digestas, concoctas? O stomachale barathrum! O Lemnios ignes! Fecit hoc Tvvs Leopolde miles, duce Te, Coquo Te, Architriclino Te. Bene habet. Credo, quemadmodum Leonis ex ossibus elici furtivus ignis: ita horum è ventriculis, si mutuo quassu, attritiue concurrissent, provocandum. Medius fidius, quod castra ipsa, istorum habitu non conflagrârint, in mirabilibus est. O Ivle ades nunc; & gratioſulo lepôre, lepidoque cachinnulo, *Heus etiam mensas consumimus*, denuo ingemina. nam Cereale à Te solum expeditū, non miror; quia Ceres fuit. at hodie, imperuias dentib⁹ argenti lances, & pateras, ire per anguſtas humani gutturis semitas fluxili volubilitate; nisi & Cato rideat, nescio. Fuge, fuge Ivle; teq; in tuto colloca: ne & isti trapezophagi; te quoq; mensam immedicabili errore arbitrentur. Midæ genus, aurum habet pro edulio. id quod ceu veterū manna omnem habet cibi, potusq; suavitudinem; nisi quod etiam in vestitum facilè conformetur. Hæc segmentata de argento stipendia, Tva ad Iuliacum Leopolde fuerunt. Argentei rivuli, ab aureo fonte Leopoldo.

Sæpe

POST
FATA
PER
FATA
HAS COLVI.
HVC EVASI.
P.M.
S.L.
Æ.A.
M.P.
HVIC PROFVI.
A
D.
M.DC.
XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philipp Sadeler fecit.

Æpe ſuperba inopes habitare palatia
JESV
Miratur SOCIOS Zoilus, & queritur.

Tanquam magnificis laribus, cum paupere tecto,
Plebeisq; focis non bene conveniat.
Quando ſtupere magis DOMINVM, qui fecerit, & quas
Ære profuſo operas fecerit, eſſet opus.
Ne mirêre illum, qui donum, Zoile, ſumit:
Sed mirêre illum, Zoile, qui dederit.

Vem verò ipſi etiam miranrur, qui accepêre. Imò deprædicant: quia non pro merito ſatis, dolent; voto certè excedere ambiunt. Neque tu, credo, recuſares; ſi tanti PRINCIPIS gratiâ dignus haberêre; aut tam beatus, qui fruare. Certares, Ædepol, liberalitate; quin prodigentiâ, accipiendo: ſi eſſet, qui provocaret liberalitate, largiendo. Suadeo, ne quis tecum Crœſus in arenam deſcendat; ne ſynthema Midas canat: victoria, & palma tua eſt; monomachiam vnus adverſùs plures ſuſciperes; Auxiliaribus copijs non egeres; Cyros, Darios, Lucullos, Cleopatras tertiùm & quartùm triumphares. Scilicet, tu homo puellaris verecundiæ; ab ARCHIDVCALI Liberalitate circumvallatus, obſeſſùs Gratiarum cohortibus, in anguſtias Beneficiorum adactus;

adactus; expalleſceres primùm ac trepidares: tùm erubeſceres; (tamen ſi quid frontis habes, expalleas & erubeſcas velim, qui beneficium immeritus accipias:) circumſpiceres, ſi qua rima fugam præbeat; caſtimoniam animi expugnari, certè pudicitiam dextræ ſiniſtræq; tuæ corrumpi non ſineres. Quàm metuo! ne in oſculum ruas, SVADAM ſuperes. Procaces, nimium quantum, ſunt in Munerum manibus Gratiæ. At nimium eſt; Novelli hujus Inſtituti homines ita ſublevâſſe, foviſſe, amâſſe, ornâſſe: LINCII ac VIENNÆ ære; CREMBSII templo, areâ amplâ, & fundo; BOIODVRI Collegio ad invidiam viſendo; Molshemij Academiâ & baſilicâ Regiâ; Hagenoæ, Seleſtadij, Colmariæ, Friburgi, Oeniponti. Nihil dico; an meritos, an dignos: egentes ſcio, gratos, memores; adeo LEOPOLDI ſui amantes, vt ægrè primas vlli concedant.

Quo in genere, ſi ambitioſos, & animi tumore dicas laborantes; non morantur: aſſuevêre his aliàs immeriti bolis, tam dapſili opſonio vel inviti ſaginantur. Vnum tamen AMORI noſtro, cum Tuo PRINCEPS OPTIME certamen eſſe poſſit. Vter fortior, vter ſit major. Si primùm Stagirite arbitro cauſa judicetur; vincimur: Sententiam de datis & acceptis Gratijs jam pridem tulit: Benefici vehementius eos diligere videntur, in quos beneficia cõtulerunt; quàm ij, qui acceperunt, eos qui dederunt. Si dein Amplitudine tuâ & Benevolentiâ: vel majeſtate, vel voluptate oppreſſi rurſum vincimur. Si Affectu demum noſtro; arrogem, an derogem? Quantùm nos amâris, ſcimus; quot lapides, quot ſignata æra; tot Charitum monumenta, tot Amoris in Nos Tvi, teſtes & Indices habemus. Totidem reciprocos Amores, totidem Memorias. Quid ergo? vinci nolumus; non fatemur? PRINCIPIS Apoſtolorum, in ſimili controverſiâ, conſilium placet. Tv ſcis, DOMINE, quia TE amamus: & Tvos amamus.

Juno

HAS COLVI.
HVC EVASI.
HVIC PROFVI.
P.M.
Æ.A.
S.L.
M.P.
A D.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.

Vnonem pavi, Cypridem vectare columbæ,
Atque solet Cybelen, bellua prima leo.
Nempe Deos agit omnes par sociale ferarum;
Nec bene currum vnum dissociata trahunt.
Una genus Themidis procedit dispare bigâ,
Seq; Leoni, Agno credere VIRGO potest?
Non timet everti furibundo rheda Leone:
Nescius iræ Agnus temperat inde feram.
Pilento quoties LEOPOLDI jura ferentis,
Invecta est; istos FOEMINA junxit equos:
Et geminas armata manus, librâ atq; machærâ;
Sed vultu ingenuo libera, & ingenio.
Noverat illa aliis tantùm velata ferire:
Sed TVA, cum plexit, DVX, oculata fuit.

VT & fatalem ab ijs, qui fato quodam cõmuni offendissent, averteres ruinam; spongiam admovendo lacrymantem, non sulphuratum nitrato pulveri fomitem: &, qui scientes in caput conspirassent, non dimitteres impunitos; tametsi Martem humeris ferrent. Tantò severiùs tractandi, qui intra

 sacra-

sacrarium pectoris admissi, nec reverentię, nec benevolentiæ rationē habuissent. Vulgare est: *Summum jus, injuriam summā:* indulgentiā quoq; liberaliorē, justo inimicā esse. Evadit autē libratum vtrumque, si æquitate & lenitudine illud temperetur; hoc severitate exacuatur. IVSTITIA etiam *Rationis Medio* eget; non *Rei* modò. Dulcacidi saporis cinnus. Hîc ego; non si Machaonem, qui palato serviat, aut vitę focum reparet, sed Argum desiderem; LEOPOLDVM video, qui perviderit, qui delibrârit; quot drachmæ de VTROQVE, quot vnciæ veniant. Quia perviderit: Astreæ proinde suæ liberos oculos jussit. Quid, malùm, cæteris commeruit, vt non nisi velata pedem efferat? cæcam si amant; vt quid præter gladium, bilance instruunt? quasi minus periculū sit judicij, q̃ supplicij: non æquè referat, vbi & qualem ictum facias; quàm factum ritè in examen voces, accurare. Armis, quæ suis carere non potest: oculis carere non debet; Prudentiæ vno, Clementiæ altero. Sed quid ego pro oculis Iustitiæ pugno? nam Eâ carent AVSTRIACI. Sacrilegum verbū. Minimè. Quin autem? vbi Iustitia non est, ibi Injurijs omnibus locus non sit? Iustitiâ, inquam, carent; non, Iustitiæ armis. Aut si mauelis; quod de SIMPLICISSIMI DEI attributis sapientes: ajo, AVSTRIACIS CLEMENTIAM sævire, & punire; IVSTITIAM misereri, & parcere solere.

LEO-

POST
FATA
PER
FATA
HAS COLVI.
HVC EVASI.
P.M.
S.L.
Æ.A.
M.P.
HVIC PROFVI.
A
D.
M.DC.
XXXIII.
PASS. SOCIET. IESV.
Philips Sauelet fecit.

Folio 89

LEOPOLDE summi templa conscende atheris,
Herculea PROLES, astra promissa occupa.
Forti stratego: primus ALCIDÆ labor,
Cæli refulgens parte non minimâ Leo
Exspectat, ignes efflat, & rutilat, jubam
Cervice jactans, nescit accensus moras:
Te in alta Mundi spatia sublimem feret.
Scande LEOPOLDE: est ARCHIDVX LEO POLI.

Vivite Fortes. Accinuit orbis;
Post monstra tot perdomita, post Phlegram impio
Sparsam cruore, postq; defensos DEOS;
Decursa laborum periodo, Tri-Regni Triumphatori Alcidæ. Quin & nos HERCVLIDÆ Novo accinamus: Vive Fortis, vive LEOPOLDE. At enim vbi perdomita monstra? Hem septicipitem; imò centicipitem HÆRESEOS Hydram docuit mori. Leones domuit; quotquot Populos terruit. Phlegram vultis? defensos DEOS? bella docebunt, & pericula pro DIVIS suscepta CÆSARIBVS. Imò DEVM opt. Max.?

aras consulite; Pattavienses, Argentinenses. ædes sacras rogate: virtutum & Literarum arenas, totidem ORTHODOXÆ RELIGIONIS propugnacula. Certè, quibus vel famâ innotuit; visus PRINCEPS, qui viveret semper, moreretur nunquam. At ereptus est; mortuus terris, vt viveret cœlis. Ascende igitur Laureate Celsum Cœli capitolium: Non alato opus est Pegaso; non æripede Cervâ. Vive LEOPOLDE Fortis. Monstrat Alcides Theseo locum: hic jam temoni junctus non patitur moras. Hic LEOPOLDO ad POLOS Archidux erit. Vive, triumpha, perenna.

Nunquam stygias fertur ad Umbras
Inclyta Virtus: vivite Fortes.
Nec Lethæos sæva per amnes
Vos Fata trahunt: sed cum summas
Exiget horas consumpta dies,
Iter ad Superos Gloria pandet.

POST
FATA
PER
FATA
HAS COLVI.
HVC EVASI.
P.M.
S.L.
Æ.A.
M.P.
HVIC PROFVI.
A
D.
M.DC.
XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philipp Sadeler fecit.



Vid CONIVNX Aquila, atq; tori
charissima consors,
Pars animæ nostræ, dimidiumq; mei:
Attollis mœsto in Cœlum clangore querelas?
Et cadit ex oculis plurima gemma tuis?
Non te deserui, quamvis super æthrâ volârim:
Clauderis æternùm CLAVDIA corde meo.
Ascendi: vt noscam, num Aquilæ mea mascula Proles,
Evaleant radios, sole probante pati.
En figunt oculos: vivit LEOPOLDVS in illis.
Nunc Aquilam duplicem læta Tyrolis habet.



Laudis, scio, CLAVDIA tuos mœrore oculos. Et certè, haud immeritò: tuo, vel extincto, vel sublato lumine. Dabis mihi tamen veniam, vt Poëtæ monenti tantillùm morem geram:

Mitibus exequiis ades, & lugentis Hetruscæ
Cerne pios fletus, laudataq; lumina terge.

Erige igitur terſos in cœlum oculos. ALES ILLE notus, renovaturus Iuventam; Aquilinam, Phœniciam, Æviternam, ad vivificos Solis euolavit radios: ſimul generoſis vnguibus ſecum rapiens PVLLOS; inconniventes, invulnerabiles eorum oculos Phœbi telis expoſiturus, experturus indolem. Hoc ſcilicet, erat: quod Sole Libram peragrante Cœlos adierit; SE, SVOSQVE SOLI IVSTITIÆ, probaturus. Contuetor bina illa delicia, vultus vultui PATERNO parallelos; exporrectum frontis ebur, liberales ſuffusâ purpurâ genas. In HIS vivit LEOPOLDVS. Habes, CLAVDIA, vbi LEOPOLDVM cernas; imò Dvos. Tuque deinceps Tyrolis habes, vt ab GEMINIS AQVILIS Biceps audias: vnoque capite auctior, vel in cunis Catones lactatura; cui Iocoſa paroemia, *Seros admodum Homines facit.*

Vivum

POST FATA
PER FATA
EFFICIT ORBIS VNVS NON ASSVS
HAS COLVI.
HVC EVASI.
P.M. S.L.
Æ.A. M.P.
HVIC PROFVI.
A D.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philipp Sadeler fecit.

Ivum ME senâ clausit mea CLAVDIA sphærâ,
Et fidum ipsius Cor, MIHI sphæra fuit.
At nimis exiguus fuit, & brevis orbis in orbe;
Et volui in cœlis liberiore frui.

Bene conjunctos conjuges; LEOPOLDVM, CLAVDIAM! sphæras & globos acceptos LEONI! Etenim quas delicias magis amat, quibus oblectatur, nisi lubricâ per arenam rotundas sphæras voluere? In stadiariâ mundi Inferioris arenâ claudebat LEONEM CLAVDIA sex MEDICEORVM sphæris. Imò corde suo. Et quis sic clausus, non existimet se cœlo claudi; Nisi cœlestes hos orbes angustus hic mundi non caperet orbis; Peleoq; LEONI hic, vnicus orbis non sufficeret. Quid igitur? sic CLAVDIAS sphæras LEO deserat? Non opinor: quibus *Cor vnum, & Anima est vna.* Seu vivus, seu mortuus;

CLAV-

CLAVDIÆ ſphæris clauditur. Patietis proinde CLAVDIA, nos Tvo gratulari LEONI: quod Mundi hujus inæquali relictâ arenâ, à cœleſti Nomotheta & Munerario, ad nitidum Cœli æquor ſit evectus: ereptuſq; ex orbis noſtri anguſtijs (vbi Fortuna globos ſuos dubiâ verſat manu) liberiore & planiore Cœlorum areâ perfruatur. Neque conturbêre, ſi audias à Leone:

Valete mundi ſphærulæ,
Fluxi, caduci, labilis:
Cœleſtibus, perennibus
Cœleſtis hic ludit LEO.

POST
FATA
PER
FATA
ANTIÆ SVAVITATIS MEMORIA ABVNDANTIÆ
HAS COLVI.
HVC EVASI.
A D.
P.M.
Æ.A.
S.L.
M.P.
HVIC PROFVI.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philipp Sauelor fecit

Vàm bene conveniunt mellita examina in vnum:
Dum LEO pandit apes, CLAVDIA promit apes!
Quis de tam dulci non dicat fœdere junctis:
Dulce in Amore fuit Vivere, dulce Mori?

Veteres Lucinæ, conjugiorum Præsidi, sacrificaturi fel hostię eximebant: significantes ab Amore conjugali abesse omnem amarulentiam oportere. An id, vel opus in LEOPOLDI & CLAVDIÆ conjugio; vel suavissimâ illius morte? Dum conviverent; Apis erat in ore CONIVGIS CLAVDIA. Cum moritur LEOPOLDVS; *de Forti egressa est dulcedo.* Suum CLAVDIA non claudit symbolum; sphæram profert: è quâ mellificum examen prodeat. Vos autem, quò versùs Hymettiæ Hospites? quo Hybleæ operæ? Ad LEONIS, opinor, aluear; Dulces LEONIS Incolæ, ad Claudianam sphæram. Nunquam certamen suavius. O memoriam abundantiæ suavitatis. Quamdiu CLAVDIA primi-

genias geret apes, memoriam geret SOCIÆ ſuavitatis. Quamdiu LEOPOLDVS LEO; non obliviſcetur SOCIÆ Dulcedinis. Minùs creditis? (admirabiliſſimam certè hanc Amoris dulcedinem non poteſtis credere) CLAVDIA ſolitum de ſuo proferet; *DEVS omnia cernit.* Nunc Nazianzene Præſul, Magni Hieronymi teſtimonio, *Os CHRISTI;* quæ de dulcedine ais conjugij, de hoc vno ſine metu pronunciare poſſis:

— — — — mortali ſanguine cretis
Vtile conjugium eſt, ramorum certaq́ radix
Pulchrorum, Dulcis vitæ Columenq́, decuſq́.

Quid

POST
FATA
PER
FATA
ADRATNONS
HAS COLVI.
HVC EVASI.
P.M.
S.L.
Æ.A.
M.P.
HVIC PROBVI.
A D.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philipp Sadeler fecit.

Quid procul extento, bone Puſio, circinus ære,
In ſua ſubjectam climata cogit humum?
Quid palæ rurale genus? quid foſſile ferrum?
Quod geritur tenerâ pondus inane manu?
Magnanimo forſan tumulum vacuare Leoni,
Magnaq́ de modico pulvere buſta paras?
Nequicquam fodicatur humus, tumuliq́ cavantur:
Tolle manum tenui ceſpite; tolle Puer.
Sunt ſpatioſa ſoli quæ rere volumina, punctum.
At LEOPOLDVS humo grandius ambit opus.
His igitur ſpatiis agè, Mauſolea parentur;
Unde trahis nomen Dux LEOPOLDE tuum.

Quid adeo impendioſè telluris orbitam, mi Puſio, decirculas? Quid tua refert, inquis. at ego vicem Tuam doleo; quoniam vt video, nequicquam agis, quod agis. neque enim terræ ſolum augetur incrementis, vt fiat amplius.

plius. Peripheriam Terræ eandem, quam majores dedêre, reperies: eritque, vt fuit, Partium CCCLX. Ita me æquus Iupiter; si isthuic orbis annulo gemma debet LEOPOLDVS inseri; amplius quàm major est annulo. Ducentos ex asse, & vlterius quadraginta quinque LEOPOLDVS supercalculat numeros; omnino notabili excessu. Hoc te fortè ita meditabundum bone Pusio morabatur in aëre. Discres porrò id tuo vel ex circino. Quadratum, inquis, quæro in circulo. Id puto, quod non quadrat. reperies fortè, vt nodum in scirpo. Ego sanè tibi quadratum mox cuderim. En LEOPOLDVS. Illius quadratum habes in nomine, vt pote novennario confectum è numero. Ter enim, toties in semet reductum, profectò quadraveris. Da tu porrò vicissim mihi circulum. at ibi omnino non dabis, opinor, vbi majus circulo quadratum est. Quantò ad rem magis ille alter, polos inter, LEOPOLDI hoc quadratum requirit; vbi par circulo quadratum est illi, qui sine centro est; & cujus circumferentia nusquam. Rectè huc LEOPOLDVM quadrare vel nomen ipsum admonet. Meretur hoc publica virtus, vt non nisi ex alto spectetur.

THA-

THALIA.

Dem GRATIÆ, & MVSÆ nomen. Nisi fortè Gratiarum Tertia, sit è Musis vna. Quibus quidem SVADA tertiò in Gratijs statuitur; eadem illis esse, & MVSA & GRATIA videtur. Vt tamen diversæ sint, & aliæ: optant hodie; vel GRATIÆ in MVSAS, vel in GRATIAS MVSÆ commigrare. Nec numeri tantopere tenaces sui, nec muneris; GRATIARVM modò, & MVSARVM partes expleant. Sed est, quod VIATOREM vereantur; morâ perurgentur, & brevitate: in alterutram si peccant, Ingratæ audient DEÆ; quas GRATAS natura facit, officium & nomen exigit. Eo igitur vel obsequio, vel facundiâ, vel numero esse coguntur ad Vrnam miseræ; quæ nec GRATIAS deceant, nec MVSAS. Copiam enim amant: argumenti, verborum, numeri, officiorum, temporis & aurium. Argumento LAVDIS & MERITORVM etiam abundant hodie; verba præterea reperirent; numero certè, infinitati affines fierent: sed ab auribus, horarum & dierum spacio; ad Laconas, & Areopagum jubentur, amittuntur. Faciles ad officium cum sint; tùm à Latinienſi vbertate parùm instructæ; parciùs loquentur. Quòd verbis non poterunt; quibus quidem gravior eloquentia inest, rebus loquentur; loquentur lacrymis, & singultibus loquentur; à quibus Poëtæ, & Oratores animam sumunt. Horum orationi affatim dabunt hodie ornamentorum, vel luminum: &, quoad lacinioſis esse non licebit; non syrmate pullato, aut talari supparo, quæ Luctus induit; sed linguâ & voce. Copiæ, quam darent, loco; copiam exhibebunt, quam à multiplici Sapientissimi Principis & Literarum Mecœnatis LEOPOLDI, Eruditione acceperunt. Multa horum nec leviter gustabunt, ad jejunam Tantali & Midæ felicitatem damnatæ. Age ergo, sinum explica THALIA, evolue MEMORIÆ Matris flavisias, cimmeliarchium resera CAMOENIS. Su-

peri! & vos Parnassi NYMPHÆ! Vnde hæc tam plurima, tam maxima? Quàm exaggeratissimè dotatæ estis, tam maximè obligatæ. Quid hæretis? an stupore, an dolore? Pergite porrò demirari Merita; dolere Fata pergite: sic verbis egebitis, quàm pauciss imis; sic futuræ, brevitati quàm gratissimæ. Sed moderari hanc lacrymarum & admirationis orationem, verborum interjectione memineritis: ne quis mutas, ne elingues credat; qui nil loquentes audiat. Et id vitium nonnullis est: Ingratas, aut subrusticas putare eas (nam Napææ, Hamadryades & Naiades estis: quæ inter Danubij, Oeni & Illiceti flumina; inter montium quaquaversùm cacumina, sylvasque habitatis) quæ fixis munera oculis contuentur; eò autem, vnde sunt profecta, nec vultum, nec linguam attollant. Ornamenta & Beneficia in Literariam Remp., in cultum & splendorem vestrum collata, vel maximè à LEOPOLDO æstimate. Inde, tametsi ex se plurimùm valent, decus & precium sumunt. VRANIE initium dabis; à quâ THALIA categoriæ initium fecit: tùm catervarijs esse licebit; quoad denarium cum GRATIA expleatis; Viatori copiam precandi bene, & eundi detis.

POST FATA PER FATA
OPERA COLVMEL
HAS COLVI.
HVC EVASI.
P.M. S.L.
Æ.A. M.P.
HVIC PROFVI.
A D.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philipp Sadeler fecit.

Quid te solicitâ PRINCEPS operose fatigas,
In sustollendis nocte dieq; globis?
An vitreos Juvenum ludos; quêis fossula meta est,
Et lucrum; globulos marmoreosúe putas?
Excedit moles vestras AVDACVLE vires:
Iste manet solidos orbis vterq; viros.
Mole sub hac pluerent armi sudore, toriq;
Herculei; gemeret pondere fractus Atlas.
Ergo redi ad par, atq; impar; in arundine longâ
Esto eques; & globulis lude, relinque globos.

Sed Herculem LEOPOLDVS in cunis sapit. Assuetº serpentes, Prudentiæ Magistros, vel in Iuventâ tractare. Apinis & epostraciſmo, ostraciſmo damnatis. Quotidie in Principe Styrorum Vrbe, vbi literarum fundamenta jaciebat; quidquid Humanitatem saperet, in tabellas referre solitus: quò inanes ferias & ocia crepundijs agnata testulato quasi exilio multaret. Tùm verò ne peregrinatio SAPIENTIÆ studioso deesset, Patriam Iudenburgo commutavit: neq; enim prolixius huic iter opus erat; qui intra Provinciæ suæ fines, Athenas haberet; haberet ad x. Lapidem, Platonẽ, Stagiritem, Pythagoram: Chaldæos Cœliſpices, Niloticos myſtas, ad ipſius aviti

aviti Muræ fluſtrum, Iſidis ſacra lucrubrantes. Hîc tu, obſecro, ne ſeveram è veteri ſtoâ, Academiâ, aut Lyceo maciem aliquam, in publicum pertrahas; ne ad ellychnia Reſidem Vmbram; ad Vulcanũ cornu concluſũ, & examurcato (ſi pauperies tulit) liquore victitantem, Lychnobium aliquem & ſapientię helluonem: qui dimyxos videas LEOPOLDO lychnuchos, ad Philoſophiæ & Theologiæ ſudorem excubantes. Affatim hîc lucis eſt, ad tenebras & GRATIÆ, & NATVRÆ diſcutiendas; ſeu à face, ſeu lucernâ. Illam SCIENTIA miniſtrat: hanc Religio; iſta ipſa *Lucerna lucens in caliginoſo loco.* Ceræ multum; olei multum. operæ verò etiam plurimum. ſed ceræ, olei, ac operæ precium maximum. Scio locatam bene operam, expenſum à PRINCIPE oleum. Vel ſi balſamum fuiſſet, non pœnitendum. Impendij verò rationes exactè RVDOLPHO CÆSARI, dicatis oblatiſque Artium Theorematis dedit: dedit Sereniſſimæ DOMVI; Sacratiſſimis Antiſtitibus; Proceribus, Dynaſtis, Senatui Philoſophico; toti STYRIÆ dedit; propalam, ſolidum ipſum diem Græcij propugnatis. Subſcripſêre expenſis vniverſi; plauſu, gaudio, lachrymis. Habent, quem æmulentur, qui oleo abundant; vt operâ abundent. Sed mirum! Multi oleũ perdunt; operã non perdunt. Itáne verò induſtrij? Minimè. Quia non impendunt. Mauelim hos; ne oleum ſolũ perdant, etiam operã perdere. *Fœmi-*

POST FATA
PER FATA
CAPITOMNES
HAS COLVI.
HVC EVASI.
P.M.
S.L.
Æ.A.
M.P.
HVIC PROFVI.
A D.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philipp Sadeler facit.

FOEmina, molle genus, pulvinar & ocia quærit,
Delicias ambit, Veris anhelat opes.
AVSTRIACO videant quas cum Diademate fundi
Purpureoq; sinu, largius imbre, dari:
Approperant bifido ter tres à vertice Nymphæ;
Atq; suâ cupiunt pro statione locum.
Quid non obtineant, pro quèis Cyllenius orat?
Nec locus excludit: quin Iovis Ales amat?
AVSTRIACI natura loci est; vt nesciat oras:
Tamq; amplum pectus nolit habere modum.

HOcis herclè desipit. Displicet Cytheron & Helicon: Thitorea & Hyampeum Castalides nauseant. Scilicet æmulũ Cyrrhæ jugum sylvas olet; vliginosas ab Hippocrene ripas; humentem à defluore muscum. Scabile ibi; vel cespes gramine tectus ignobili, vel saxum durius, fastidium parit. Palatia surgunt rupe asperâ, aut rudi topho; spelæa ferarùm veriùs nunquam emuscata, expumicata nunquam; quàm Nympharum tecta. Quò curiosiùs jaculatæ oculos Corycidæ? quò vos pedes? hilaræ, properæ, ridiculæ? scamilli trahunt plumei; rosæ,

lilia, balsama, suppara ab injurijs tuta, Volupiæ sinus, excubiæ Alitis Reginæ. Næ vos tandem sapitis. sed astutiam hîc ego MERCVRII; perpol Amorem, Ignes, flammasque odoror. Tabellionem induit, & sub lacernâ Amascum agit. Heus tu, quisquis scutum à tergo; & corium pro balteo geris. Vnde? quò? nuncias; an portas aliquid? Nympharum comitatus quid? Ne quis molestiam, & obicem mihi; jus & securitatem ex humero gesto: maturatò opus est, inquis. V. Ad Æthiopas credo; cœnam pernoctaturo Iovi cum Superis ad vesperam instructurus. M. Apage sis ludio; serium ago. V. Serium Ædepol; qui sine teste Nymphas comitere. Quid totus aversо vultu hæres in Alite? videri, sat scio, times. Non falles, Raptor: novit illa probè oculos, talaria novit. Nec Iovi latebis; oculato, aurito. Quisquis tamen es; nam si DEVS es, quid te simulas? vel astutiùs simula. M. Quid tua; qui nullus sis? Cum Terrarum Maximo post Primum, negocium est mihi. V. Hic verò etiam insolens est: DEVM loquitur, aut DEO proximum. Mercurius est ipsissimus. Aggrediar modestiùs. DEORVM Nuncie; pulcherrime, facundissime, scitissime, citissime: Bene TIBI; Bene comitatui Tvo. M. Iam tu Hominem loqueris: verbo dignabere. Ab Alsatia mihi

ad

ad RVDOLPHVM CÆSAREM. V. In tempore: festina, ne domo interea exierit; post sæcula rediturus. Celeritate omnino opus; alis, pennis, remis, velis. Pragam, opinor, properas. M. Ex Alsatia. V. Hui, tam prolixum iter, tam brevi! Dimidio minus est reliquum. Age, age; vola, non moror; festinatò opus. Vbi redieris; vberiùs, prolixiùs. M. Imò redeo. V. Quî? ab Alsatiâ ad RVDOLPHVM? M. Pessimo oculo es, qui non intelligas. V. Ego verò itum video; reditum audio. Nunquid qui Superis vobis oculi, ijdem & aures sunt? Id quæso compendium Hominibus date. M. Ad LEOPOLDVM redeo: responsum à RVDOLPHO refero. V. Et hic agendum properiter est; vt LEOPOLDVM domi reperias. Amplius, quam semestre; quod absit domo. An tu verò tamdiu domo vestrâ in itinere abes; qui nec RVDOLPHVM, nec LEOPOLDVM inter Superos videris, conveneris? Serus nimium, qui Nuncium LEOPOLDI ad RVDOLPHVM agas. A Gynæceo remoras, & compedes talaribus injectas autumo. Olim, cum viverent, expeditum oportuit. M. Imò verò ego, olim eo & redeo; cum vterq; vivit. Hodie nec eo; nec redeo. V. Nempe tu; cum his qui olim vivunt, nunc agis. M. Dixi; pessimo oculo es, qui non intellegas.

Cum vivis olim ago. V. Quid, malùm, tu nos mortuos rere, quibuscum hodie agas? Tu hodie in itinere es. M. Imò enim ego nullo hodie; sed olim sum in itinere. V. In alio saltem mundo es: qui omnia olim agatis; hodie nihil. Nam tu olim is, & redis: & quid egeris olim, olim agis: & confectum olim negocium, olim conficis. Negocioſus olim, & officioſus Ædepol. At hodie qualis? M. Volo, & hæreo: ſto & gradior: peto, & habeo: ocioſus & negocioſus. V. Adde; mutus, & garrulus. Dic, tamen, obſecro; qui olim omnia tractes: quid olim literarum à LEOPOLDO ad RVDOLPHVM afferas. nam ſi hodie feras; nec tuo, nec meo capite feceris, qui munitas à tergo tabellas diffringere audeas. M. En literas: Patentes hodie; olim clauſiſſimas. V. Sine: legam. M. licet. *Æquiſſimum eſt; vt, ſicut Pietas & Religio Catholica ſub Auſtriaco diademate, & purpurâ quieſcit, & floret: ita pariter Literæ in eandem clientelam admittantur; cum ſine his vix quidquam ſolidæ Pietatis defendi ac propugnari poſſit.* V. Impetraſti Cyllenie? M. Imò verò ampliùs, quàm appetentiores DEÆ ſunt. V. Felices Camœnas, Patrono tali, tali Parnaſſo!

Triſtis

POST
FATA
PER
FATA
HAS COLVI.
HVC EVASI.
A D.
P.M.
Æ.A.
S.L.
M.P.
HVIC PROFVI.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philipp Sadeler fecit.

Folio 114

Riſtis Agenorides, liquidas dum fontis ad vndas
Deſidet Aſcræi: ſollicitusq́ ſtupet
Pimpleoſq́ foros, errantemq́ orbe ſororem:
Offertur dubio littera græca animo.
Memnona dum ſociis fundaret legibus Heber,
Promeruit linguæ conditor eſſe ſacræ.
Quid memorem Palamedis aves, invectaq́ terris
Auſonidûm, & Latio verba diſerta foro?
Has ipſas infert noſtro DVX AVSTRIVS orbi;
Auſtriadûm noſtris GLORIA magna plagis:
Has & Molshemis, Brisgoaq́ Muſa recepit;
Has & Pattavici concupiere lares:
TEQVE illas donante, vehit ſeptemfluus Iſter,
Rhenusq́, & vivo ſtridula Bruſca ſinu.
Fama loquax TANTVM vehat alta per æquora Cadmum:
Muſa vago TANTVM vulget in orbe PATREM.

Iu jam Cadmus orbe exilium circumtulit. Demulceat Hippocrene fractū corpus; primitias gloriæ ambitas dudum negat nescia reperiri Europa. Sufficit laudē cojens in arma, & ferrum fata dentis durities. Et quod magis; armata tot litteris, in naturæ subsidium Pallas. Quid Salæ progenies? cum ipso orbe nascentē linguam trahit: hanc sacram ab ipso numine haustam. Nec suis vrbs Martia caret ausis, & inventis Latinā cum lupæ Romulidos lacte combibit. Quid autem hęc Numina non debeant LEOPOLDO? Surgunt per hæc litteræ; at vix adulta stirpe exaruerunt: lucem necdum aspiciunt, cum occidunt. Nescio igitur cui plus debeat eas Europa; quàm Austriadæ Cadmo. Sorori ille huic in tenebris squalenti lucem infert: funeratas propè scientias ab interitu revocat. Nil habes Ignorantia; quod orbi nostro insideas, discutienda hoc Heroë. Europæ peregrino orbe advocanti, artes Rhenoq;, Bruscaq; & Danubij fluctib⁹ Hippocrenen advehit: cum Musarū choro, Apollinem nostro cœlo asserit. Lentate ergo propitiæ PIERIDES patrios fluctus: Tu Molshemis, tuq; Pattavias Musa Cadmum hunc æternùm occine; perennitati lita. Hujus è semine pullulet magnus gigas: vestroq; PEGASIDES cantu jungantur in artifices minas LEOPOLDIANÆ virtutis Thebæ æternitatem æquaturæ.

Quis

POST
FATA
PER
FATA
PTAMVSINANE
NOLVMBRIS
PAS COLVI.
HVC EVASI.
P.M.
S.L.
Æ.A.
M.P.
HVIC PROFVI.
M.DC.
XXXII.
A
D.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Phil. Sup. Sadeler fecit.

Vis toto DEVS explicatus Oeno,
Panſis retia complicata filis,
Prognatam grege ſquameo cohortem,
Admixtis trahit impiger Camœnis?
Aut eſt conchicrepo ſonore Triton;
Aut eſt Nympha; vel vna plurimarum,
Oeno quæ latuêre, Gratiarum:
Vt conchas legat, orphon, oſtreúmve;
Aut Troctámve, Lupúmve, Buccinúmve.
Quin, ni fallor, en ipſa Gratiarum,
Vdos turba per alueos ſororum,
Vaſto retia fuſa ducit Oeno.
Nec piſcem meditatur, oſtreúmve;
Vmbras ſed magis Ædium ſequaces;
Quæ celſum Fluvio caput reponunt.
Vt, ſi FLVMINA tota LABERENTVR;
Ne menti ſimul VMBRA LABERETVR.

TVVM LEOPOLDE ARCHIDVX, in Pataviam SOCIETATEM, munificentiæ insigne, COLLEGIVM habet: &, vel ipsæ FLVXILES Oeni lymphæ, Nymphæq́; , constantissimè deprædicarent. In his, retia pandunt GRATIÆ; vel Vmbras capturæ magnifici operis. Norunt enim, etiam *Meminisse beneficij* in partem gratitudinis reponi solere. Omninò, solvendo sese, nullatenus esse, liberè confitentur. Et si quidpiam referunt gratiarum; VMBRA id tantummodò est eorum, quæ TIBI debentur. Hîc igitur, illo Tantali penitus de more *Quærunt aquas in aquis.* Tametsi enim constans, imò perenne TVVM sit beneficium: at grates tamen GRATIÆ quærunt in aquis, dum sentiunt, etiam nolentes, quam *fugaces* sint. Sed age, sint vel fugacissimæ: FLVMINA tamen in MARE abeunt. Quod nequeunt illa, possunt æquora: quodque cum his elabitur, hæret ad extremum in salo. Gratias pares non refundunt, quia non valent, QVIBVS FECISTI: at valet ille, CVIVS GRATIA FECISTI. Gratiam quidem *loquentur* FLVMINA: *reddet* verò GRATIARVM OCEANVS.

Chara

POST
FATA
PER
FATA
RENOVABIT VR VTA
QVILA IVVENTVS TVA
HAS COLVI.
HVC EVASI.
HVIC PROFVI.
P.M.
S.L.
Æ.A.
M.P.
A D.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philipp Sadeler fecit.

Folio 120

Chara Jovi volucris, levium Regina volucrũ;
Et medio Divûm ludere docta sinu:
Cum jam defessis canâ nive pingitur alis,
Obtegit & furuam pigra senecta comam.
Ut pennas, veteris revocet sub jura juventæ;
Plumarumq́ novum ducat in ora decus.
Ipsa simul vitreis sua corpora merserit undis;
Protinus antiquo membra vigore refert.
Curva sed assuetis ubi rostra inhibentur ab escis;
Exacuit solidæ cornea rostra PETRÆ.
Ætherios quoniam fontes LEOPOLDE petisti,
Tute Tyrolensi notior ALES agro.
Dum referes aliam meliori flore juventam;
Perpes ubi VIVIS se PETRA miscet AQVIS.
Excute vel tenuem lotus de fontibus undam;
Sopiat hostiles imber ut ille focos.

ET primum quidem, extra metum positum arbitramur. De altero verò fortasse non vana precatio sit; vtpote quæ & omen habet. Semper tempestuosum in Volucribus, Aquosa balneatio; nec minus arenosa. Etenim pluvius aër à memoriâ hominum est, quoties

— — *Arguta lacus circumvolitavit hirundo.*

aut illæ de grege Avium,

— — — — *quæ Asia circùm*
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,
Certatim largos humeris infundere rores;
Nunc caput objectare fretis: nunc currere in undas:

Imò tempestuosissimum tùm quoque, cùm Cornix

— — *Sola in siccâ secum spaciatur arenâ*
— — — — *cumq; marinæ*
In sicco ludunt fulicæ. — —

Probatum est. Necdum benè à nobis avolâras, VIVOS TE mersurus in FONTES: quando hostis, & tempestatem sensit; & ipse avolavit, nisi quod TV ad AQVAS; in quibus PETRA CHRISTVS est: ille verò, ô vtinam non, ad IGNES, & SAXA SISYPHI. Adhuc reliquum ejus, intra Imperium, scintilla est; facilis restingui vel à guttâ. Si enim adhuc, MORTVOS inter, IGNEM igne, propè Iuliacum, restinxisti: poteris idipsum multò maximè inter VIVOS, AQVIS VITÆ. Et quoniam in sicco es, quando in PETRA es; id quoq; pro nobis facit. Nosti, offendere petra quod possit; offendi non possit.

Juppi-

POST FATA
PER FATA
EM CAPTO CAPTIVNT
HAS COLVI.
HVC EVASI.
P.M. S.L.
Æ.A. M.P.
HVIC PROFVI.
A D.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philipp Sadeler fecit.

Iuppiter Idæi languebat amore puelli,
Gauisus mensis asseruisse suis.
Cum prædatrici populantem devia lino,
Armiger audaci regius vngue capit.
Imbelles in lata ciens venabula cervos,
Fit fati præcox arbiter ipse sui.
Austriacos inter, Divûm lectissime mensis
Libare æternas mella liquata dapes;
Vmbriferos avido saltus custode coronans,
Et vigili spargens cædua lustra cane;
Dum pecus incautos densat conterrita vallos;
Gaudes, funereæ nescius ipse plagæ.
Indue mortiferos DVX Invictissime casses:
Vt caput æthereæ cassidis ornet apex.

TAM iniqua noſtræ eſt vitæ conditio, vt ſpem quamvis infringat. Somnium dicas vbi ludicra ſubtilitate agitatus homo perſonatâ agit fabellam; Quid tam ſoliciti, exangues & inanes curas procuramus? Hem aucupationis noſtræ ſudores! hem præmia! Arachne induſtriâ à communi parente natura ad perpetuas operas damnata, hæret ibi vbi liberioris aëris meatum perſentiat: currit recurritque indefeſſa, tignis velut vallis cancellatim reticulata ilia explicans. Tanti moliminis impendium, & jacturam educti viſceris; reponit muſcæ vnius, culicis, aut œſtri irretiti per ſcutulas agitatio: vbi dum inhiat prædæ, incumbitque; affectans cruorem illius, nimium ſolicita famularum diligentiâ, vilibus ſcopis vigilatus in tantum labor in exuerras cedit; & ſudata hæc aulæa in ſordes abeunt. Tales veſcas quis texuit infælicius DEVM Pincernâ? Quid enim in eo requiras? liberalem formam, ocellos ipſo nitore loquaces, quos vel in Hylâ requireret Tirynthius: flavam Cæſariem? quam Conon eo jure quo ſuam Berenycen cœlo adſcribat. Sed breviores voto ſpes mortalium. Dum caſſes erigit, dum ceruis inhiat, feralis ipſe morti præda datur. At, qualem tu fœlix Tyrolis Ganymedem? illum; quem velox & altiſſima prudentia, veram cœlo Aquilam, Aquila transportat: quem curioſa indagine explorantem ſylvas; non inſtructus jam præſago fulmine armiger exterret: ſed acerbiori invectus ſeſſore letho, immaturæ ei mortis præconium defert. fatale certè & ſiniſtrum funeris auſpicium, niſi fatorum amori cedamus. Quæ enim comparatio, Romulo Aquilam primos Imperij faſces delegare? quid eandem Numæ pio? Et huic tantum obitus occaſuſque portendere? ſed fortunatiſſimus ille, regna opulentiora prenſabat: voluitque brevi exhauſtus catharro, fatis concedere; immortale illic merum libaturus. Quem ne abeuntem omninò deſeruiſſe videamur, ſequaci Fata numero ſic Poëtæ proſequi placuit.

VT TItan LVſtrat regæ VIrgInIs ora:
Æthereas Intrat ganIMeDes rhætIVs aVLas.

Si,

POST FATA PER FATA
DOQVANDO QVOQVO MO
HAS COLVI.
HVC EVASI.
P.M. S.L.
Æ.A. M.P.
HVIC PROFVI.
A D.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philipp Sadeler fecit.

126

I, Tua Pattavius cum præterit ossa Viator,
Sollicitet; celerem quonam Jovis armiger ales,
Sede Tyrolensi viduâ meditêre volatum;
Atq; leves abitus gemitu deploret anhelo;
Aut hunc, aut similem depromens pectore lessum:
Ergóne destituor? notis sic deseror alis?
Ah nimiùm charis quondam tutissimus alis!
Heû mihi, nostrorum QVO QVO solamen Amorum?
QVO MODO sub tenues abiisti flebilis auras?
Aut QVANDO sine me nunquam redituræ volasti?
O vtinam sublimè sequi licuisset euntem;
Et comites præstare oculos, aut debile corpus!
Hæc inquam, dubio siquis sermone requirat:

DICIto, paſsV aVIVM; VersV trIa ponIs In Iſto.

Ta oculo natura parens annexuit oculum; nequeat vt alteruter, diversum tueri. non Aquilæ id quidem, non Lyncei possint. Neque gemina quidquam moratur sede, ni DEVS sit. Solus Tu extra naturam LEOPOLDE videris. Avolâsti; PASSV AVIVM, Aquilino volatu. Et quidem, sinus Te Iovis excepit, meliore Fato. Habet tamen adhuc, TEMET in animo TVVM PASSAVIVM. vides vtrinque, & videris. Meminit horum omnium, TIBI quondam; nunc, MANIBVS TVIS devota hæc Vrbs. Annum tantummodò cupit oblivisci: definita siquidem res, *Annus* est. & mavult *Diminutivo* includere, quàm *primitivo*, MEMORIAM TVI. *Annulus* enim æterno commensuratur, non *Annus*. Supervola quamobrem ô Ales, atque vna nobiscum remane, quoniam potes vtrumque. Lude Iovis in sinu: quodq; agere videris, fulmen intentum moderare. Ex TE, si nos jubes Augures; bona ominamur. Dexterâ hactenus à parte volâsti, Imperij dextera; stridentibus alis PIETATIS ac FORTITVDINIS. Eris etiamnum AVGVSTO FRATRI TVO; quod quondam Aquila, Tarquinio Prisco. Hostibus autem, jacula eripies, vti Dionysiano fatelliti.

Cur

POST
FATA
PER
FATA
HAS COLVI.
HVC EVASI.
A D.
P.M.
Æ.A.
S.L.
M.P.
HVIC PROFVI.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.
Philippus Sadeler fecit.

CVr solus rutilo percurris sidera vultu?
Atq; citis graderis Phœbe, superbus equis?
Cur non & rutilos nigro velamine vultus
Phœbe tegis? Musæ dum sua fata dolent?
Si quæris, radios cur lætior aëre spargam?
Ne mirere novus regnat Apollo polis.

NEmo sapit omnibus horis, & quandoque nec Iupiter idem omnibus. ita diversùm aguntur genij mortalium: quibus fortuna constans aspirat, adijciales annos trahunt: Quibus vitrea, his morum magistra paupertas. miscentur lętis tristia. Dum Superi Majores Thyonæum agitant: medioximi Libitinam planctib⁹ & luctu fatigant. hanc vicissitudinem num viderunt Pij LEOPOLDI Manes ad Epithymbiæ aras defleti? cum concors Musarum cohors funebres, turpavit vultus: quid ni & Apollo anthracina ora, & Helicon omnis fletum cieret:

solutæ

ſolutæ forſan lacrymas dum Phœbum cum ſobole antiquos revoluere caſus formidant, iteratam orbis cataſtrophen præſagientes. ſed apagè luctus, lætior Hyperion defæcato cœlo ſpatiatur. namq; vt

EoVs tItan noVIes regnaVerat orbI
AſtrIs MIratVr sIDVs Ineſſe recens.

Vtimini igitur annis novenæ Sorores. Hæc dies vitam aliam, mores alios poſtulat. Phœbum alium ſacra admiſêre penetralia: Quid? & biſſena cœli choragia Sole novo gaudent. Vnde & puro æthere innubis decurrit dies: ſerena aſtrorum facies induit novum decus. Ponite ergo feralem vultum Phœbi tanti alumnæ, voſq; hilarato ore contrectantem advertite; nec adverſo lumine propitium jubar cœcutite. Reſume Helicon intermiſſam diu lætitiam, & feriantem manum dulciori plectro concute; & limpido axe provolantem Phœbum animato Aethone ſacri carminis applauſu proſequere.

POST
FATA
PER
FATA
PATERRIS MANETALI
HAS COLVI.
HVC EVASI.
P.M.
S.L.
Æ.A.
M.P.
HVIC PROFVI.
A D.
M.DC. XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. IESV.

ARma rotat Pollux, niveo volat IRE superbus
Castor, & herbosâ gymnade corpus agit:
Hujus vt emoritur trepidæ lux rara carinæ;
Nauifragis surgit tutior alter aquis.
Tuq; vehens nitido tacitas temone quadrigas
Ardentis Phœbe, Phœbi operosa soror;
Seu thalamos subeat, seu prodeat æquore Frater;
Stas vigil ad croceos excubitura toros.
Austriadûm TITAN redimitur nocte perenni,
Suffectura jubar Cynthia grandè nitet;
Dum roseas habitat sedes, Fratrisq; superbæ
Limina, purpureos mœnia rara lares;
Vrit adhuc mirùm, miris furit æstibus ingens
Ardor; sopiri nescius ardet amor.

LIVD in titulo, aliud in pyxide plerumque mentiuntur seplasiarij stentores. Cernas diapasmata, malagmata, syrupos; &, quæ vel ipse Trismegistus horreat. Imò, si penitius videas? non nisi extenuatum aërem, aut Mephytim Averno insolentiorem. Sic jam adumbratus est orbis; vt veritas, & synceritas germana, Cimmerijs pressæ tenebris obsolescant; pessum ituræ, ni obitu tam fatali vindicentur. Ipsis sub pharmacis insidias helluamur; sub temerato melle pestilens Cerberi spuma ardet; salutationis prætextu, & osculi; adulatrix Ioabi manus ensem in Amasæ femora rotat. Fæliciora Ethnicorum sæcula. Prodit par Helenæ Fratrum, in arenâ & hippodromo. Imò & inter astra: cum alter benignam naufragis ratibus lucem non subtrahit; donec auspice alterius exortu laceræ puppes naufragij discrimine arceantur. Sic nunquam gemelli hi procubitores aliquâ lucis suæ parte, velut candido omine non depositæ Maris custodiæ, pontum carere volunt. Nec cedunt quidquam gemini orbis Oculi: sic enim hi speculatores semper mortalium curis patrocinantur; vt nunquam non intenti sint: Sol quidem diutino; at Phœbe nocturno aspectu: nec vnquam (si Poëtis credimus) quieto ille somnum accipit oculo; nisi hæc vigilem stationem agat; ad nocturni circitoris partes digniùs subeundas, fraternæ facis adjuta munere; qua delitescentem mundum furuæ noctis immanitate clarior aperiat. Similem prorsus Austrius axis Phœbum habet LEOPOLDVM Et licet hunc seu præmaturo Fatorum livore, seu invido Parcarum rhombo coacta nubes eripuerit; sic, vt amœnum jubar benevolentiæ & amoris in SOCIOS nequaquam, vt ante diffundere queat: remanet nihilominus æstûs illius pristini admonitio. Quot enim Domus, Collegia, Templa Architecto illo, multo splendore assurgunt: tot signa sunt Amoris, & vivax cum perennitate præconium; splendorisque majestatem orbe toto circumferunt.

Cura-

POST
FATA
PER
FATA
HIC INDETPL
ATO VIESCERE
L
HAS COLVI.
HVC EVASI.
P.M.
S.L.
ÆA.
M.P.
HVIC PROFVI.
A
D.
M.DC.
XXXIII.
COLL. PASS. SOCIET. JESV.
Philippus Sadeler fecit.

Vrarum TIBI prima DEVS LEOPOLDE TVARVM
Dum, qualem trahimus, vita maneret, erat.
Altera sollicitam sensit RESPVBLICA curam:
Quàm benè divisus cum Jove Cæsar erat.
Primos ILLE sibi soles, summosq; tueri;
ISTE sed, occiduam fallere nocte diem.
Sic somni Phœbus, sic Luna negaverat horas:
Cæperit vt modicâ nox, minor esse die.
Libra die, somniq; pares cum fecerit horas;
Da finem curis nunc LEOPOLDE TVIS.
Vt valeas noctes junctis dormire diebus;
Nil vltra quod agat tertia cura dabit.

BEnè habet, æquissima Themis. aptè LEOPOLDVM curis absoluisti, eo potissimùm tempore, quo justa Lanx, pares librat somnos vigilijs. Nimirum, hic curarum, somnus est præmium. Verius de TE Ô LEOPOLDE, Parmenio diceret, quod pro suo quondam Philippo Græcis dicebat, de Regis meridiano somno querentibus. Nolite admirari, si nunc LEOPOLDVS dormit: nam quando Vos dormiebatis, ille vigilabat. Etenim si sciscitemur, quid nunc rerum agat LEOPOLDVS; profectò quid aliud habebimus in responsis, quàm quod *cubet in meridie*. Proinde, nec immeritò Smyndiridem posthac imitêre, licet; vtpote, qui non orientem deinceps solem, non occidentem videbis. Erit hic somnus Endymionis, quoniam & illum Tibi superi immiserunt; erit immortalis. *Amodò enim dicit Spiritus, vt requiescat à laboribus suis.* Hic demum non injuriâ, *jubet Plato quiescere*. Hercle enim, sola somnus iste, quies est: imò solæ sine cura vigiliæ.

VIA-

VIATOR.

Vllum eſt, nec ſyncerius, nec acceptius genus Gratiarum: quàm quùm illas acclamationes æmulamur, quæ fingendi tempus non habent. Plin. in Panegy.

Anacreon: Dimetri Iamb. Cata- & Acalect.

O Quiſquis heic recumbis,
Magnũ eſſe te neceſſe eſt;
Et GRATIIS fuiſſe
Curaſque, gaudiumque:
Cui ſacri penates,
Et Templa GRATIARVM
Tributa ſunt humando:
Cujus, madente vultu,
Charites rigant ſepulchrum:
Cûi Præficas CAMOENAS,
Famamque buccinantem,
MEMORIA præſes Ædis,
Eſſe voluit perennes.
Seu te Tyrolis ora;
Vineta quam venuſtant,
Sylvæque verticeſque,
Saltus feris potentes;
Habuit DVCEM fidelem:
Quam lege temperabas,
Quam comiter regebas,
Quam naviter colebas.
Auguſtus aut Cruor Te,
Et Principum AVSTRIORVM,
Regumque, Cæſarumque;
Præſtare fecit inter
Plebem infimam, & cohortem
Mediamque maximamque.
Seu Te indoles beata,
Natura ſingularis,
Lepoſque Gratioſus,
Virtuſque candidata,
Integritas amata,
Et Æquitatis ardor;
PIETATIS auſus ingens,
Ad omne fructuoſus:
Seu Martialis horror,
Animuſque bellicoſus,
Lituiq; præliares,

Sariſſa, tela, & enſes;
Fecêre Glorioſum.
Seu dextra liberalis,
Aſſueta contumaces
Domare perditorum
Quæ Militum furores;
Ac concitare in ipſa
Cœcos pericla vitæ:
Seu Te novem SORORES;
Ad Pattavos vocatæ,
Ad Alſatas revectæ,
Doctus liquor Caballi,
Et antra culta Cyrrhæ,
Fecêre Gratioſum.
Non alia, GRATIARVM
Quàm TE decebat Aula:
Æquum fuit recondi,
Dumtaxat hoc ſepulcro:
Hoc effodi ſepulcrum,
Solùm ſolo DEARVM
Oportuit; profano
Quod non pede eſt terendum.
Humecta Gratioſis
Gemmiſque, lacrumiſque
Delubra GRATIARVM
Natare congruebat.
Ob Gratias ALVMNVM,
Et præſtitos honores,
Deflere Gratioſi
HVNC debuêre AMORES.
Ingratus inter GRATIAS,
Et ſiccus inter lacrumas;
Obliviosus, inter
Memores, ego morabor?
Vectigal ergo ſolvam.
Patiamini me AMORES,
Sociumque me DOLORES
Habete Gratioſi:
En luridum vultum fero,
O tetrici Cupidines;
En lacrumis genæ madent,
Singultiúntque pectora,
Suſpirijs & planctibus.
Pauliſper heîc morabor.
Inter gemens gementes,
Et inter ejulantes
MVSASQVE, GRATIASQVE.
Veſtriſque lacrumis meas
Attemperabo lacrumas
Extemporaneas; pari
Synceritate, ſenſu,
Dolore, Amore, & ore.
Teſtabor heîc Amorem,
Solabor & Dolorem;
Veſtro meum Dolore,
Meoque veſtrum Amore.
Aditum date ad ſepulcrum:
Vt mille figam baſia,
Amplectar ignes millies,
Quos turbo ſopit Funeris.
Hos ceſpites ſepulti,
Cybele parens Deorum
Comis, virore, flore
Conveſtiat perenni.
Sampſuchus heîc vireſcat,
Roſæque, liliumque,
Serpilla, ſpica Nardi,
Lychnis, Crocique flores,

Bacchar,

Bacchar, calendulæque,
Violæque mollicellæ,
Graviſque Roſmarinus.
His ſedibus DEARVM,
Vapor perennis halet,
Vmbraſque delicatas
Recreet odore ſuavi.
Terræque pondus atræ,
Tumulivé ceſpes alti,
Cineri levis beato
Sit: mollior cadente
Floccoque congelatæ
Aquæ, Cycnique plumâ:
Sit nube rariore;
Araneæ labore:
Sit igne, luce; pappo
Sit mollior volante:
Bombyce, fronde Serum;
Lanaque Zibellina;
Exiliore mole
Pilique velleriſque,
Pulviſculique puncto.
SALVE; VALE beate
Mi Pulle GRATIARVM;
Dulciſque lacrumarum
Fomes mihi, Diſque.

FELICET.

FINIS.

FINIS.

perfect
SF
1,3045

Page 1573
Landuch 208